

RESP. AD ARGVM. A

Christus pro omnibus sufficiet, non est feci-
tus, & separauerit.

Ad primum argumentum dicendum, quod illi, qui per Christum non iustificantur, non dicuntur non iustificari ex defectu passionis Christi, qui pro omnibus sufficienter satisfecit; sed ex defectu eorum, qui sibi talem passionem non applicant, ut faciant eam efficientem, vel efficacem.

Peccatum in Spiritum sanctum dicitur irremissibile ex defectu passionis Christi, sed ex illorum, qui sine penitentia moriuntur.

Ad secundum, & tertium dicendum, quod peccatum in Spiritum Sanctum dicitur irremissibile, non simpliciter, sed ratione difficultatis; sed si addatur finalis impenitentia, dicitur irremissibile, non ex defectu passionis Christi, & benignitas Dei, sed ex defectu illorum, qui sine penitentia moriuntur, non applicantes sibi merita passionis Christi: dicta ergo illa sacrae Scripturae non dicunt impossibilitatem simpliciter, sed maximam difficultatem.

DISTINCTIONIS XIX.

Secundæ Partis.

QVAESTIO PRIMA
PRINCIPALIS.

N secunda parte principali agitur de pace cum Deo per Christum mediato-tem obtenta, & quia Christus reconciliando nos Deo tria fecit opposita ijs, quæ sunt in peccato; cum enim anima sit media inter hęc corporalia, & Deum; propter quod anima potest tripliciter considerari. primo ut est aliquid in se. secundo ut comparatur ad hęc corporalia, quibus est superior. tertio, ut comparatur ad Deum, quo est inferior. Anima ergo per peccatum primò in se inficitur, & se iniustificat. secundò corporalibus, siue temporalibus annectitur, & obligatur, tertio à Deo, & ab æterna hæreditate auertitur, & obliquatur. Christus autem nos reconciliando, è contrario tria fecit; nam primò nos mundauit, & iustificauit. secundò ab istis temporalibus nos se iunxit, & separauit; tertio in spe æternę hæreditatis nos stabiliiuit, & solidauit. Ideo hęc tria in hac secunda parte presentis distinctionis examinabimus,

PARS II.

Primū. Vtrū Christus nos iustificauerit.

Secundum. Vtrum Christus sua passio-
ne, & morte, vt mediator inter Deum, &
nos ab istis corporalibus, & temporalibus
nos seiunixerit, & separauerit.

Tertium. Vtrum Christus in spe hære-
ditatis æternæ nos stabilierit.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus nos iustificauerit.

Conclusio est affirmativa.

Aegid. super Epist. D. Pauli ad Rom. c. 5. lect. 16, & 17.
dub. 1. D. Bon. in 3. d. 19. q. 1. art. 1. Dur. q. 1. Ric. in
3. tent. d. 19. q. 1. Scotus d. 20. q. 1. Arg. in 3. d.
19. ar. 1. & 2. D. Th. 3. p. q. 49. ar. 1. Caiet.
ibid. Biel. in 3. d. 19. q. 1.



D primum sic pro-
ceditur. Videtur,
quod Christus nos
non iustificauerit:
nam sola fides di-
citur causa sufficiēs
ad salutem, vt ha-
betur Gen. 15. Cre-
didit Abraham Dco, & reputatum est illi
ad iustitiam, quod exponens Glossa, ait.
Gen. 15.

C Sola fides est sufficiens causa iustitiae ad sa-
lutem. Si fides ergo est sufficiens causa
nostrę iustificationis, & per fidem iustifi-
camur, non videtur, quod iustificemur
per Christum.

Præterea. Quicunque sunt iusti viuen-
tes sub lege, videntur iustificari ex operi-
bus legis; sed Moyses, & multi alij boni
fuerunt iusti viuentes sub lege; ergo fue-
runt iustificati ex operibus legis, & non
ex passione, morte, & gratia ipsius Christi.

Præterea. Quicunque potest legem ser-
uare, & gloriam æternam acquirere, potest
etiam iustificari; sed faciēs legem, & obe-
diens mandatis legis habet gloriam, quia
non moritur, vt ait Glossa super Epist. D.
Pauli ad Rom. cap. 4. idest mortaliter non
peccat: qui autem mortaliter non peccat,
consequitur iustificationem, & tandem
vitam æternam: ergo per solam legem iu-
stificamur, & vitam æternam consequi-
mur, & non per Christum.

Glossa su-
per Epist.
ad Rom.
c. 4.

I N C O N T R A R I V M est illud
Pauli ad Rom. 5. vbi dicitur de Christo,
Per quem accepimus accessum per fidem in
gratiam istam: si per Christum habemus
fidem, & gratiam; ergo & iustificationem.

RE-

RESOLV TIO.

Iustificationis nostræ causa materialis est animæ dispositio, formalis est gratia, finalis est gloria, & efficiens dicitur ipse Christus.

RESPOND E O dicendum, quòd iustificationis nostræ possimus assignare quadruplicem causam, siue rationem, videlicet, formalem, materialem, efficiensem, & finalem. Materialiter iustificamur per dispositionem animæ, & quia anima disponitur ad virtutem dimitendo vitia, iustificatio nostra, per egressum virtutij est tanquam per causam materiam, siue tanquam per dispositionem animæ, & sic intelligitur illud Ambrosij: *Egressus virtutij operatur virtutis ingressum.* Formaliter autem iustificamur per introductionem formæ, siue per infusionem virtutis, & gratiæ, quæ formaliter nos iustificat, & sic loquitur Paulus, dicens: nos esse iustificatos ex fide, non ex fide quacunque, sed ex fide formata, per quam formaliter iustificamur. Tertiò iustificamur efficienter per Dominum nostrum Iesum Christum, qui nobis virtutes infundit. Quartò iustificamur finaliter per æternam gloriam, ad quam iustificatio nostra finaliter ordinatur, & sic patet quomodo plura concurrunt ad nostram iustificationem, sed aliter, & aliter.

Est autem notissimum tria esse genera iustificatorum, secundum Apost. ad Rom. cap. 5. Nam quidam sunt incipientes, quidam proficientes, & quidam perfecti. Incipientes dicuntur per fidem habere accessum, idest habere introitum ad Deum. Proficientes verò, spe hæreditatis æternæ erecti, dicuntur in gratia stare. Perfecti verò assidue cupientes esse cum Christo in cœlesti Patria, gloriantur in spe gloriæ filiorum Dei, idest Sanctorum, vel Angelorum, vt Glossa exponit. Et quia omnia habemus per Christum, iustificati sumus per ipsum, siue habeamus accessum ad ipsum, & simus incipientes, siue simus in gratia, & simus proficientes, siue glorriemur in spe filiorum Dei, & simus perfecti.

Aegid. super iij. Sent.

Materialis
causa iusti-
ficationis.

D. Ambros.

Formalis
causa iusti-
ficationis.

Efficiens cau-
sa iustifica-
tionis.

Finalis cau-
sa iustifica-
tionis.

Tria gene-
ra iustifica-
tionum.

A

RESP. AD ARGUMENTA.

Ad primum dicendum, quòd charitas se habet ad fidem, sicut lux ad colorem, quia sicut color non potest agere, nec mouere medium sine luce, sic nec fides potest agere opus meritorium sine charitate: propter quod consueuerunt naturales dicere, quòd lux est forma coloris:

Lux dicitur
forma colo-
ris.

nam cùm agere sit à forma, eo ipso, quo lux dat colori, vt agat, & vt moueat visum, dicitur coloris forma: sic etiam eo ipso, quòd charitas dat fidei, vt agat opera meritoria, & vt actus eius sit meritorius, quod sine charitate fieri non potest, dicitur esse charitas, quasi forma fidei, quia sicut colores, siue lux sunt informes, coniuncti autem cum luce sunt coniuncti sua formæ, sic fides sine charitate dicitur informis: coniuncta verò charitate, dicitur formata; cùm ergo dicitur, quòd sola fides est sufficiens causa salutis, non est intelligendum de fide informi, quæ est sine charitate, sed de formata, quæ est charitati coniuncta. Huiusmodi autem fides formata, si non adsit tempus operandi, per se sine operibus est sufficiens causa salutis: sed si adsit tempus operandi, & non operetur, peccatum incurrit, & eo ipso fides, quæ erat viua, & formata, efficitur mortua, & informis, vt dicitur Iac. capite 2. *Fides sine operibus*, idest cum habet tempus operandi, & non operatur, *morta* est. Fides ergo informata charitate, est illa, quæ formaliter nos iustificat, Christus verò efficienter.

Charitas di-
citur quasi
forma fidei

D

Ad secundum dicendum, quòd Augustinus in libro de spiritu, & littera ait: *Opera legis dicuntur, quæ cum lege sunt instituta, & ordinata*; vt erant opera ceremonialia, & figurata, quæ nunquam valuerunt conscientiam mundare, & si cum charitate, & deuotione fierent, vt ibidem dicitur; causa autem quare non iustificabant est, vt Glossa super Epistolam ad Roman. cap. 3. ait: *Quia opera illa non fuerunt instituta in iustificationem*. si autem queratur ad quid fuerunt instituta, dicere possimus ea fuisse instituta ad quatuor. Primo ad futu-

Fides for-
mata, si no
sit tempus
operandi, de
se est suffi-
cientis cau-
sa salutis in
genera cu
se formalis
non effici-
tissimæ enim
Christus
nos iustifi-
cat.

Operari pia-
ce, ex cha-
ritate, & de
uotione, sic
bant, nō po-
terant con-
scientiam mu-
ndare.

Yy 2 rorum

Opera legi fuerant instituta ad merendam gloriam, requiratur gratia, sine qua nihil est gratum: si quis facit opera legis, licet ex hoc non moriatur, idest non demereatur, quia ex hoc non meretur poenam, tamen nisi habeat gratiam, non glorificabitur.

sa. c. 15.

Negatur in ior at gomē
ri & minor,
qua à Moy
ses, & alijs
rati: faciat
in legem non
faciat iu
stificari ex
operibus le
gis, ut erant
opera oper
ata; sed vt
erant oper
antis.

orum figuraionem, quia illa cōceremo- A nalia erant figura Euangelicæ veritatis. Secundò instituta sunt ad propriæ infirmitatis ostensionem, dicebant enim Iudei superbientes de se ipsis: *Non deest qui impleat, sed deest qui iubeat.* Tertiò instituta fuerunt, ad carnis domationem; erant enim illa cōceremonialia tantum- onus, quod ita domabat carnem, ut ea portare non possent, iuxta illud Petri Act. cap. 15. *Quid tentatis imponere iugum super cervicem discipolorum, quod neque nos, neque Patres nostri portare potuimus?* Quartò fuerunt instituta ad Idololatriæ deuitationem; nam quia tunc homines erant valde proni ad Idololatriam, & immolandum sacrificia Idolis, voluit Deus, ut obscurarentur huiusmodi cōceremonialia, & offerrentur in holocausta, ut per tale exercitium circa cōceremonialia, & per huiusmodi oblationes holocaustorum retraherentur homines, ne offerrent Idolis holocausta. Quod ve- rò obiicitur de Moyse, & alijs bonis, dici debet, quod iusti fuerunt non ex operibus legis. Vel dicere possumus, ut communiter dicitur, quod aliud est iustifi- C cari in opere operantis, & aliud ex opere operato, opera cōceremonialia legis, secundum quod erant opera operata, idest si considerabantur in se, non iustificabant: sed ex opere operantis, ut quia quis deuotè se exercitabat circa ea, facie- bant, occasionaliter non directè, sed ipsa deuotio, & ipsum opus operantis faciebat ad iustificationem. Opus ergo cōceremoniale exterius operatum directè ad iustificationem non faciebat. Nam sacra- menta veteris legis erant sacramenta egena, & opera illa cōceremonialia egena erant, quia figurabant iustificationem, sed non faciebant: sed sacramenta nouæ legis sunt quædam yasa gratiæ, & sunt sacramenta plena, & id efficiunt quod figurant.

Ad tertium dicendum, quod cum ad fugiendam poenam sufficiat non transgre- di mandata; ad merendam autem glo- riā, requiratur gratia, sine qua nihil est gratum: si quis facit opera legis, licet ex hoc non moriatur, idest non demereatur, quia ex hoc non meretur poenam, tamen nisi habeat gratiam, non glorificabitur

apud Deum, nec habebit veram glo- riā, quia sine gratia gloriam mereri non possumus: qualitercunque caueas tibi à peccato, vel ex timore, vel ex amore sufficit ad fugiendam poenam, sed ad merendam gloriam non sufficit cauere à malo, & facere bonum ex timore, nisi hoc fiat ex charitate, & amore.

Ex operibus ergo legis sine gratia pos- sumus fortè effugere poenam, sed non mereri gloriam. Immo si rectè loqui volumus, sicut non habentes gratiam possumus effugere hoc peccatum, vel il- lud, sed non omne peccatum, sic per le- gem sine adiutorio gratiæ possumus effu- gere hanc poenam debitam huic peccato, vel illam debitam illi, non tamen omnem poenam, sicut neque omne peccatum: in quantum ergo cauemus nos ab aliquo peccato per lēgem sine adiutorio gratiæ effugimus poenam debitam huic pec- cato, sed ex hoc non meremur gloriam.

A R T I C V L V S II.

Utrum Christus sua Passione, & morte, vt mediator inter Deum, & nos, ab istis corporalibus, & temporalibus, nos seiuinxerit, & separauerit. Concluſio eſt affirmatiua.

Aegid.super Epist. D. Pauli ad Rom.cap.5.lect.16. & 17. D.Bon.3.sent.dist.19.art.1.q.4. Rich. 3.sent. d.19. q.1.

SECUNDO quæri- tur. Utrum Christus sua passione, & mor- te, vt mediator inter Deum, & nos, ab istis corporalibus, & tem- poralibus nos seiu- xerit, & separauerit.

Et videtur, quod non. Nam Apostolus ad Rom. 8. ait: *Omnis creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc.* quod exponens Glossa, ait: *Omnis creatura dicitur inge- miscere, & parturire, quia cum labore operatur; sed si nos ab istis rebus corpo- ralibus, & temporalibus fuissemus à Christo separati, & seiuicti non labora- remus*

Rom. c.8.

remus in nostris operibus bonis faciens : ergo &c.

Præterea : *Esse temporalibus addictos accidit nobis ex poena peccati ; sed poenæ peccati sunt maiores in nobis , qui sumus sub Christo, quām in antiquis sub lege , quia mors est effectus peccati , & nunc minus viuunt homines , quām antiquitus ante Christi aduentum : ergo etiam nunc magis sumus addicti rebus corporalibus , & temporalibus , quām ante Christum .*

Præterea : *Homines facillimè retrahuntur à spiritualibus propter temporalia , & separantur à Charitate Dei propter amorem rerum corporalium : Signum est ergo , quod Christus à temporalibus nos non seiunxit , nec separavit .*

I N C O N T R A R I V M est , quia sicut membra corporis , quandiu sunt corpori coniuncta , nimis affliguntur , cum illa lœduntur : sic quandiu sumus istis corporalibus per amorem , & affectionem coniuncti , & vniiti , nimis affligimur , si in eis lœsuram patimur ; sed quando sumus per Christum ab istis temporalibus , seu corporalibus separati , tunc si tribulamur , vel si lœdimur in istis rebus sensibili bus ; non solum non affligimur , immo gloriatur , & lætamur , considerantes , nobis ex hoc præparati regnum æternæ hæreditatis .

R E S O L V T I O .

Per Christum in tribulationibus gloriamur , patientes efficimur , purgamur , & eternam beatitudinem expectamus , & ita temporalia spernimus propter æternam .

R E S P O N D E O dicendum , quod nos non solum per Christum sumus iustificati , & gloriamur , sperantes gloriam filiorum Dei , sed etiam per gratiam Christi sumus eleuati , & ab istis temporalibus separati , gloriamur in tribulationibus , & lætamur , si præssuram patimur in hoc mundo , scientes , quod tribulatio operatur patientiam , patientia autem probationem , idest purgationem ; purgatio vero expectationem futuræ gloriae . Est autem notissimum , quod quicunque exercitatur congruè circa aliquam materiam , acquirit habitum , vel virtutem , vel fal-

Aegid.super iij.Sent.

tem virtutis usum , illi materia competenter : Ut quia materia , circa quam versatur ars citharizandi , est cithara , qui congruè se exercet circa citharam , acquirit actionem citharizandi , & efficitur expeditus , & promptus in usu huius artis , id est in actu citharizationis : sic & in proposito , quia materia virtutis patientiae sunt tribulationes , & præssuræ huius mundi , qui circa has tribulationes congruè se exercet , augmentatur in eo virtus patientiae , & efficitur patientior , & promptior ad agendum opera huius virtutis , ideo bene dictum est , quod tribulatio patientiam operatur .

Patientia autem operatur probationem , id est purgationem : nam quanto patientiores sumus in tribulationibus , & quanto minus de tribulationibus curamus , & res sensibiles minus diligimus , tantum minus affligimur , cum in eis præssuras , & tribulationes patimur . Esse ergo patiens in huiusmodi tribulationibus est non curare , non amare , non affici circa ista sensibilia , & terrena , & quia infectio , quam contrahit anima ex eo , quod afficitur circa haec bona vana , & exteriora : cum per patientiam abstrahitur ab ipso amore , & ab ista affectione vanorum , consequens est , quod ab his , quæ eam inficiunt , & deturpant , separatur , & quia ex hoc maximè res purgatur , si ab infestationibus separetur , patientia ab istis separans animam , dicitur operari probationem , id est purgationem eius .

Ex hoc autem maximè apparet , quomodo omnia supradicta ad Christum sunt referenda , per quæ ab istis infectionibus , & ab istis terrenis , & sensibilibus separamur , à quibus separati non affligimur , cum lœdimur , & tribulamur , sed considerantes expectationem æternæ hæreditatis in his præssuris , & tribulationibus gloriamur .

Est autem notissimum , quod probatio , & purgatio operatur spem , id est expectationem æternæ hæreditatis , quia cum anima sit in medio constituta , inter haec bona sensibilia , & vana : & illa , quæ sunt bona vera , & æterna , cum anima afficitur ad vana , retrahitur ab æternis . Et sicut res existens inter duos terminos , cum ad unum terminum accedit , ab alio

Virtutis pa
tientia ma
teria .

termino elongatur, vnde maximè conuenit, quòd cùm à vanis retrahitur, & elongatur ad æterna afficiatur, & accedit, & quia quilibet expectat id, ad quod afficitur, & ad quod se videt tendere, & appropinquare; purgando, separando, & elongando animam ab his infectionibus vanis, faciendo eam tendere, & appropinquare ad æterna, facit, & operatur, vt omnia illa bona speret, & expectet: Christus ergo reconciliando nos Deo Patri, quia fecit nos in tribulationibus gloriari, patientes esse purgatos, & probatos, sperantes, & expectantes æterna bona, separat nos, & distrahit à temporalibus, & corporalibus bonis.

RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quòd laboriosum idem sonat, quod improportionatum, secundum quem modum loquitur Philosophus in 2. de Cœlo, & Mundo, dicens: *Si una stella adderetur superiori Orbi, motor eius moueret cum labore, & pœnæ,* idest mobile non esset proportionatum motori. Quare quanto aliquid sit magis consentaneum rei, magis videtur ei esse proportionatum. Iste status deterior, quia non est ita consentaneus rei, describitur esse laboriosus respectu status melioris, idest post resurrectionem.

Ad secundum dicendum, quòd antiqui nō plus viuebāt, quàm nos, nisi forte quia ex dispéssatione speciali, quando erāt valde pauci homines, vt multiplicaretur genus humanum, concedebatur eis multum viuere, nam à Natiuitate Christi iam transferunt plusquam mille anni, & tamen David, qui fuit tanto tempore ante Natiuitatem Christi, loquens de longitudine, & breuitate vitæ hominum, ait, quòd in ipsis septuaginta anni erant, si autem in potentatibus octoginta anni, amplius autem eorum labor, & dolor, & tamen secundum hunc modum procedit vita hominum modernorum, vt ex hoc arguatur, vt communiter dicitur, antiquos homines non plus viuere, quàm modernos, nisi hoc fuerit ex diuina dispensatione speciali.

Ad tertium dicendum, quòd per Christum ita sumus Deo per charitatem uniti,

PARS II.

A vt dixit Apostolus Rom. 8. *Certus sum,* quia neque mors, neque vita, neque Angelii, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare à charitate Dei, que est in Christo Iesu Dominino nostro: tamen multi separati fuerunt, & facilimè quamplures separantur: quia illa verba intelligenda sunt, nisi velimus, non enim potest nobis in hoc inferri violentia, nec habemus hostem, qui possit vincere, nisi volentes.

*Si retrahi-
mur a spiri-
tualibus
propter te-
poralia,
hoc est,
qua facias
volumus nō
quòd fiat
nobis vio-
lentia.*

ARTIC. III.

*Vtrum Christus in spe hæreditatis æter-
na nos stabilierit. Conclusio est
affirmativa.*

Aegid. super Epist. D. Pauli ad Rom. c. 5. lect. 16.

ERTIO quæritur. Vtrum Christus in spe æternæ hæreditatis nos stabilierit. Et videtur, quòd non. Nam non minus stabili-
mūr per fidem, quàm per spem, quòd simus consequuntur vitam æternam: sed multi ex habentibus fidem confunduntur, vt sunt mali Christiani: ergo etiam multi sperantes confunduntur.

Præterea. Non est dicendum, quòd Christus dederit nobis occasionem præsumendi nimium de nostra salute, iuxta illud Prouerb. *Beatus vir, qui semper est pauidus;* sed stabilire aliquem in spe vitæ éternæ, est præbere illi occasionem præsumendi nimium de vita éterna consequenda, & nimium fidere de proprijs meritis: ergo non est dicendum, Christum nos in spe hæreditatis éternæ stabiliuisse.

Præterea. Dicitur ab Apostolo Rom. 8. *Spes quæ videtur non est spes.* sed D. Stephanus, dum adhuc esset viator, vidi gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei: ergo saltim D. Stephanus dum erat viator non potest dici, quòd fuerit per Christum in spe stabilitus; & per consequens non videtur vniuersaliter verum, quòd

*Arist. lib. 2.
de cœlo, &
mund. l. 71.*

*Glossa lo-
quitur non
absolute,
sed respe-
ctu status
melioris,
puta æter-
na vita re-
spectu cui-
us ite sta-
tus præsens
dicunt la-
boriosus.*

Psal. 89.

*Negatur mi-
nor a gaudi-
ti cum sua
probatione*

Prou. 28.

quod Christus nos in spe hereditatis eterne stabilierit.

I N C O N T R A R I V M est, quod dicitur ad Rom. 5. Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur: patientia vero probationem: probatio vero spem: spes autem non confundit: si spes non confundit: ergo per ipsam sumus stabiliti, ita ut fiducialiter gloriam eterne hereditatis expectemus.

RESOLVTIO.

Spes, quam habemus per Christum de aeterna hereditate, non confundit nos, nec decipiet nos, immo certi sumus, quod implebitur, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.

R E S P O N D E O dicendum, quod duo potissimum sunt, quae faciunt promissa in uiolabiliter permanere; primum est amor intensus; secundum pignus impensum, vtrumque autem nos certificat de promissione diuina, & de spe hereditatis aeternae, videlicet, tam dilectio prominentis, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, quam etiam pignus exhibut, quia spiritus Sanctus datus est nobis, quasi pignus hereditatis aeternae, iuxta illud ad Cor. 2. cap. 1. *Deus est, qui signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Est autem aduertendum, quod si vna sit bonitas trium personarum, non tamen est plus de bonitate in omnibus his tribus, quam in vna personantum, & quia diuina bonitas est hereditas nobis promissa, qua fruemur, cum non sit plus de bonitate in omnibus his tribus personis, quam in vna tantum, ex quo ipse Spiritus Sanctus datus est nobis, in quo tota diuina bonitas reseruatur, sufficiens pignus accepimus de promissione nobis facta, & de hereditate aeterna.

Est etiam aduertendum, quod fides nostra apud Gentes stulta reputabatur, credentes finem nostrum sine hereditate esse, & existimantes, nos non posse obtainere id, quod speramus, ideo in persona illorum dicitur Sap. 5. *Hi sunt, quos aliquan-*

A do habuimus in derisum, & in similitudinem impropriū; nos insensati vitam ilorum existimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos, fors illorum est. Hinc est, quod Apostolus ait Rom. 5. *Spes non confundit*, idest expectatio nostra non confundet nos, nec faciet nos erubescere, nec fieri de nobis, vti credebant illi insensari, videlicet, quod esset finis noster sine honore, & quod non possideremus hereditatem eternam, & non sit fors

B nostra inter Sanctos: ex omnibus ergo supradictis potest formari ista ratio. Cuicunque datum est tantum pignus, quantum valet eterna hereditas, ille certificatur, & solidatur de Christi eterna hereditate; sed nobis, per Christum reconciliatis, datum est tantum pignus, quantum valet eterna hereditas, quia datus est Spiritus Sanctus, ergo iustificati per Christum, certificamur, & solidamur.

RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quod aliud est credere Deo, credere Deum, & credere in Deum, quam divisionem etiam facit Augustinus, qui ait, quod credere in Deum est credendo diligere, & credendo in eum ire, & quia hoc modo non credunt mali Christiani, ideo confunduntur, non autem sic, qui sunt in spe per Christum robatori, quia in Deum tendunt, quem consequi sperant, & eo in patria frui, sicut expectant.

D Ad secundum dicendum, quod spes est media inter presumptionem, & desperationem: presumentes enim, indebet habere volunt quod cupiunt, desperantes etiam indebet ab eterna beatitudine desistunt, sed sperantes, debitè in illam beatitudinem tendunt: non ergo per spem datur occasio nimium presumendi, sed temperatur presumptionis, & desperationis impeditur.

Ad tertium dicendum, quod spes est de pertinentibus ad se, & non propriè de pertinentibus ad alios. Stephanus ergo aliud vidit, & aliud sperauit, vidit enim gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris vir-

a. Cor. 1.

Diuina bonitas est nostra hereditas.

sap. c. 5.

Habentes fidem in Christum, vniuersaliter illi qui in Deum credunt, non confunduntur, ita, qui sunt in spe reborati per Christum.

Sperare, presumere, & Deum credere quid sit.

Negatur minor argumentum.

*Negatur argumentum, qui a Sej ha-
bitus aliud videt, & aliud sperauit.*

virtutis Dei ; sed non vidit gloriam propriam , quia nondum erat beatus : sperabat ergo quod non habebat , & erat beatus in ipso , non in re .

DISTINCTIONIS XX.

Et Partis Primæ Principalis.

DISTINCTIO XX.



*I*C verò queritur, utrum alio modo , &c. In hac distinctione Magister agit de causis passionis Christi , ut dictum est in diuisione præcedentis distinctionis . Distinctio autem presens in duas diuiditur partes principales , in quarum prima tractat Magister de causa congruentia passionis Christi: in secunda autem de causis efficientiæ eiusdem passionis . Secunda pars incipit ibi : *Christus ergo est sacerdos, idemq. hostia, &c.* Prima pars diuiditur in quatuor partes , quia primò assignat causam congruentiæ ex nostra utilitate , ibi : *Sed nostræ miserie sanande, &c.* Secundò ex decentia iustitiae ipsius , ibi : *Est & alia ratio, &c.* Tertiò ex ordine eiusdem iustitiae Christi , ibi : *Sed qua iustitia &c.* Quartò ostendit , quòd etiam isto ordine prætermisso , potuit hominem aliter liberare , ibi : *Si enim tres illi in causam venirent, &c.*

Secunda etiam pars principalis , in qua agitur de causa efficiente , diuiditur in tres partes : primò enim agitur de causa efficiente passionis , quantum ad opus operans , idest quantum ad ipsam operationem cause efficientis . Secundò quantum ad opus operatum . Tertiò mouetur quoddam dubium , & soluitur . Secunda pars incipit ibi : *Passio ergo Christi, &c.* Tertia ibi : *Hic distinguendum est, &c.* & sic terminatur sententia presentis distinctionis .

Q V A E S T I O V N I C A
PRINCIPALIS.

De congruentia passionis, & mortis Christi .



VIA Magister in prima parte principali præsentis distinct. 20. agit de congruentia passionis Christi , ideo dictam congruentiam vnioco quæsito absoluimus , & dictæ congruitatis causas perquiremus .

ARTICVLVS I.
ET VNIVRS.

Vtrum fuerit conueniens Christum sua passione, & morte nos Deo reconciliare, & à morbo sanare . Conclusio est affirmativa .

Aegid.super Epist.D.Pauli ad Rom.c.5.lest.17.D.Th. 3.p.q.46.art.3.Caiet.Med.ibidem.D.Bon.3.fent. d.20.art.& q.2.Ricch.3.sent. d.20.art.3. Alens. 3.p.q.1.memb.4.Fau.in 3. sent.d20.disp.49.



D hunc Articulum sic proceditur . Videtur , quòd non fuerit conueniens Christum sua passione, & morte nos Deo reconciliare , & à morbo sanare : Nam illud non est conueniens , quod præbet occasionem alijs malè peragendi , & peccandi , sed ex hoc , quod propter abundantiam delicti superabundauerit gratia Redemptoris , qui sua passione , & morte

te nos liberavit, data est occasio multis mala agendi, qui dicebant: Apostolus dixit: *vbi abundauit delictum, superabundauit, & gratia*, ergo quanto maiora mala faciemus, tanto ampliora bona recipiemus, vt Apostolus ostendit Rom. c. 3. igitur non fuit conueniens Christum sua passione, & morte nos liberare.

Præterea. Illud est magis conueniens, quod est magis proportionatum: sed magis proportionatum fuisset si Adam, qui nos infecit, pro nobis passus, & mortuus fuisset, & pro omnibus satisfecisset, poterat enim pro omnibus satisfacere, quia ait Glossa super Epistola 2. Pauli ad Rom. cap. 5. *Adam fuit forma Christi futuri*. Sicut ergo Christus satisfecit superabundanter, ita potuisset Adam satisfacere sufficienter, cum esset forma Christi futuri, non fuit igitur conueniens Christum pati, & mori.

Rom. c. 5.

B. Ambros.
super Lucā.

Præterea. Inquit D. Ambrosius super Lucam: *Diabolus, non iure, sed fraude tenuit hominem*: ergo non fuit congruum hominem de manu Diaboli aliquo pretio redimi, sed potestate, & vi auferri; non ergo per passionem, & mortem.

IN CONTRARIVM est id, quod dicit Apostolus: *Reconciliati sumus per mortem Filii eius*.

RESOLVATIO.

Conueniens fuit Christum sua passione, & morte nos Deo reconciliare, & à peccati morbo sanare, quia sic excellentia iustificationis, & gratiae Christi commendatur ex grauitate morbi, ex non curatione ab alio, & ex possibilitate ipsius, & hoc sex efficacissimis rationibus ex D. Paulo desumptis egregie demonstratur.

RESPONDEO dicendum, quod si quis vellet laudare aliquem medicum, quia sanasset aliquem magnum morbum, tria deberet facere: primo deberet ostendere quam magnus extiterit ille morbus: secundò quod morbus ille per alium curatus non fuerit: tertio declarare debet, quomodo morbus ille per dictum Medicum excellenter curari potuerit: sic in proposito possumus dicere de Christo: primo ostendendo, quod magnus fuerit

A morbus per Adam inductus: secundo, quomodo morbus ille non potuit esse curatus per legem: tertio, quomodo morbus ille per Dominum nostrum Iesum Christum potuit esse curatus, & sanatus.

Ad evidenter primi, vbi dictum est de magnitudine morbi, sciendum est, quod morbus aliquis magnus dicitur dupliciter: primò intensuè, si inducat magnum damnum, vt puta, quod inducat mortem: secundò extensiùè, vt si multos occidat, & mortificet, & tale fuit Adæ peccatum; quod dicitur intensuè magnum, quia induxit mortem; & extensiùè, quia ad omnes homines se extendit, iuxta illud Apostoli Rom. cap. 5. *Sicut per vinum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt*. Magnum ergo fuit peccatum eius intensuè, & extensiùè

Quoad secundum, quod morbus ille magnus peccati ab alio curatus non fuerit: nam ante lege peccatum non cognoscetur, sicut cognitum fuit lege adueniente, ideo homines non sic cauebant peccatum, quia nec credebant, per illud Deum multum offendì, cum non esset lex, quæ peccatum prohiberet, ideo lex fecit, vt peccatum cognosceretur, & crederetur esse aliquid magnum, quod esset Dei offensuum: & quia lex non plus faciebat, & gratia non dabat, ideo peccatum non tollebat, sed usque ad legem erat in mundo. Neque status legis abstulit peccatum, quia in statu legis regnauit mors, quæ fuit per peccatum introducta, nec lex ipsa potuit mortis regnum auferre: dicitur autem mortem regnasse, usque ad legem datam per Moysen tripliciter.

Primo modo dicitur mortem regnasse tempore legis, non quod tunc morerentur homines, & non modò, sed quia tunc magis timebant mortem, quam modo; nam cum tempus legis non ita firmaret, & solidaret homines in spe hereditatis æternæ, siue facit tempus plenitudinis, & tempus aduentus Christi, siue tempus gratiæ, hoc tempus quantum est de se, propter spem vitæ futuræ, facit, vt non ita mors regnet, idest, vt non ita timeatur; & quia peccator magis debet timere

Morbus ali
quid dicitur
magnus du
pliciter

Rom. c. 5.

Lex fecit
cognoscere
peccati el-
se maxime
offensuum
Dei, scilicet
auferebat
peccatum,
neq; d. bat
gratiam.Mors re-
gnasse tem-
pore legis
tripliciter
explicatur.

*Peccator
mortis de-
bet timere
mortem ,
quam ius-
tus .*

mortem , quām iustus , ex hoc ipso , quōd tempore legis mors regnabat , arguere possumus , quōd lex peccatum non tollebat , quia , vt tactum est , peccator debet timere mortem , iustus autem , cum perfectus sit in iustitia , dicit : *Cupio dissolui , & esse cum Christo .*

Secundo modo intelligitur de morte culpæ , vt dicatur , quōd mors culpæ , siue mors animæ regnauit usque ad Moysen , vel usque ad legem , quæ lex huiusmodi mortem non auferebat , & per consequens peccatum non tollebat .

Tertio modo intelligi potest de priuatione gloriæ , vt dicatur mors , id est priuatione gloriæ , & clausio regni cœlestis , regnauit usque ad legem , quia lex huiusmodi ianuam regni cœlestis aperire non poterat : omnes enim præcedentes patres , cùm decedebant ex hac vita , ibant ad Limbum , & nullus poterat intrare ianuam Paradisi . Cum ergo clausio regni cœlestis fuerit facta per peccatum , quod non aperit cœlestem patriam , non tollet peccatum ; talis autem erat status legis : ergo peccatum non tollebat , vnde Apost. Rom. cap. 5. ait : *Usque ad legem enim pec-
catum erat in mundo , peccatum autem
non imputabatur , id est non cognoscetur ,
vel non reputabatur , cum lex non
esset , sed regnauit mors ab Adam usque
ad Moysen , etiam in eos , qui non præau-
rickerunt in similitudinem prævaricatio-
nis Adæ , qui est forma futuri . itaque ne-
que lux , neque status legis tollebat pec-
catum , neque sanabat morbum peccati .*

Rom. cap. 5.

*Quod mor-
bus peccati
potuit per
Christum san-
datur sex ra-
monibus .*

Tertio ostenditur , quōd huiusmodi morbus per Christi iustitiam , & gratiam potuit esse sanatus ; hoc autem potest patere sex rationibus , secundum quod iustitia , per Christum facta , potest ad sex comparari : primò ad suam bonitatem , quia illa iustitia habet rationem bonitatis : secundò ad suum effectum : tertio ad suam plurificationem , vel diffusionem : quartò ad suam causam : quintò ad suum obiectum : sextò ad tempus , in quo facta est .

Prima ratio est ex bonitate iustitiae Christi : malum enim non agit nisi ratione boni , in quo fundatur , quia secundum se non est effectuum , sed defectuum ; si autem est effectuum , hoc est ratione boni , in quo fundatur ; ipsum autem secun-

*Malum non
agit secundū
se , quia non
est effectū , sed de-
fectū .*

A dum se non est existens , nec est de numero existentium , & hoc est , quod ait Dionys. cap. 4. de diuinis nomin. *Malum se-
cundum quod est malum , neque est exi-
stens , nec existentium , effectuum autem
est propter bonum .* Benè ergo dictum est , quōd plus potest bonum , quām malum , cùm malum non agat nisi in virtute boni ; quare si peccatum Adæ potuit nos inficerre , & iniustificare gratia Christi , quæ ha-
bet rationem boni , & quæ plus potest , multò magis poterit resicere , & iustifica-
re : ex ipfa ergo bonitate iustitiae , & gra-
tiæ Christi , & iustificatione eius probatur intentum . vnde Apostolus Rom. cap. 5. ait : *Sed non sicut delictum , ita & donum .* Si enim vnius delicto multi mortui sunt , multò magis gratia Dei , & donum , in-
gratiam vnius hominis Iesu Christi , in-
plures abundauit .

Secunda ratio sumi potest ex parte ef-
fectus gratiæ , nam vnum fuit delictum
Adæ , quod omnibus imputatur , & per
quod omnes nascimur natura filij iræ , sed
gratia Christi non solùm potest in remis-
sionem vnius delicti , sed etiam in remis-
sionem omnium delictorum , id est origi-
nalis , & actualis , vnde idem Apostolus ,
vbi supra , subdit : *Et non sicut per vnum
peccatum , ita & donum : nam iudicium
ex uno in condemnationem ; gratia autem
ex multis delictis in iustificationem .*

Tertia ratio accipi potest ex parte
plurificationis , & diffusionis , ac abundan-
tiæ ipsius gratiæ Christi : nam cum ma-
lum sit quid defectuum , gratia , & omne
bonum sit quid diffusuum ; & quid abun-
dans : ex ipfa abundantia , & diffusione
gratiæ probare possumus , quōd quoscun-
que infectit delictum Adæ , quod fuit quid
defectuum , poterit iustificare gratia
Christi , quæ est quid abundans , & diffu-
suum , vnde Apostolus vbi supra ait : *Si
enim vnius delicto mors regnauit per
vnum , multò magis abundantiam gratiæ ,
& donationis , & iustitiae accipientes , in
vita regnabunt per vnum Iesum Chri-
stum .*

Quarta ratio defumi potest ex parte
causæ : nam causa iniustificationis nostræ
fuit Adam , qui fuit purus homo , sed
causa iustificationis nostræ fuit Christus ,
qui est Deus , & homo , quia si delictum
vnius ,

D. Dion. e.
4. de diuinis
nom.

Gratia Chri-
sti ad om-
nia delicta
se ex. endit.

Gratia est
sui ipsius
diffusua.

Christus
causa effi-
ciens iusti-
ficationis
nostræ .

vnius, qui erat purus homo potuit nos A omnes condemnare, iustitia Christi, qui est Deus, & homo potuit nos iustificare, & hoc est quod Apostolus subdit: *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic, & per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ, &c.*

Obedientia & iustitia Christi vñq; ad mortem. Quinta ratio est ex parte obiecti, nam inobedientia, & iniustitia Adę fuit respectu huiusmodi obiecti, videlicet post mi vetiti; sed iustitia, & obedientia Christi Philip. c. 2. fuit respectu mortis, quia factus est obe-

Arist. 3. E. thic. 4. diens Patri usque ad mortem, mortem aut Crucis, vt dicitur ad Philip. cap. 2. constat autem, quod mors est finis omnium terribilium, vt dicitur 3. Ethic. 4. & mors Crucis erat valde ignominiosa; maior ergo fuit iniustitia, & obedientia Christi, quę fuit respectu tam ignominiosę mortis, quam fuerit iniustitia & inobedientia Adę, quę fuit respectu poni vetiti, ideo Apostolus Rom. cap. 5. ait: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatoris constituti sunt multi, ita & per unius obedientem iusti constituuntur multi.*

Similitudo curandi morbum spirituale, & corporale. Sexta & ultima ratio colligitur ex parte temporis, in quo est facta huiusmodi iustitia, & perpetrata: sicut enim videmus in morbo corporali, sic & in spirituali arbitrari possimus. Videmus autem, quod tunc est tempus curandi corporalem morbum, quando morbus cognoscitur, & quando infirmus humiliatur, & Medicorum mandatis subiicitur, & quando infirmitas aggrauatur: quocunque istorum deficiat, videtur haberi rationabilis excusatio, ne curetur morbus. Primò enim si morbus non cognoscitur, non videtur cura fienda, quia non esset curatio artificialis, sed causalis, & incognita. Secundò, si infirmus non humiliatur, & non lit obtemperare mandatis Medici, frustra intenderetur curationi morbi. Tertiò, si non esset morbus periculosus, & non aggrauaretur infirmitas, forte non expedit intendere curationi morbi; sed cum omnia ista concurrant tam circa morbum corporalem, quam circa morbum spiritualē, expedit curationi intendere, & quia lex Mosayca primò faciebat ut peccatum cognosceretur; secundò faciebat, quod homo humiliaretur, videns se non posse

omnia adimplere, quae lex imperabat. tertio propter transgressionem legis faciebat, quod peccatum aggrauaretur; dignum ergo erat, vt post tempus legis esset tempus plenitudinis, & intendetur curationi morbi. unde Apost. Rom. cap. 5. ait: *Lex autem subintravit, vt abundaret delictum; ubi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia: vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam aeternam per Iesum Christum Dominum nostrum.*

Rom. c. 5.

RESP. AD ARGUMENTA.

Ad primum dicendum, quod tempore Apostoli Pauli erat error aliorum, qui putabant ex hoc, quod Apostolus dicebat, ubi abundauit delictum, ibi superabundauit & gratia, ipsum Apostolum dixisse mala esse facienda, vt venirent bona, & superabundaret gratia: dicebant enim ex hoc, quod quantò maiora mala faciemus, tanto ampliora bona recipiemus, quia hoc placet Deo, vt faciamus mala ad hoc, vt ipse appareat iustus, & nos peccatores; ex hoc ergo oriebatur error, vt diceretur, quod nostra iniustitas Dei iustitiam commendaret: quod tamen ab Apostolo, ibidem improbat: primò, quia illud, quod est puniendum, non commendat Dei iustitiam: secundò, quia commendare diuinam iustitiam, non est peccatum: tertio, quia illud, quod non est faciendum, Dei iustitiam non commendat, mala non sunt facienda, & consequenter diuinam iustitiam non commendat; erat ergo occasio eorum sumpta, & accepta, non data ex dicto Apostoli, qui propterea eorum arguit errorem.

Ad secundum dicendum, quod Adam fuit forma futuri Christi quantum ad aliqua, non quantum ad omnia, sed similitudo sumitur à contrario in quatuor. Primò, quia sicut in Christo omnes vivificantur, ita è contrario in Adam omnes moriuntur. Secundò, sicut Adam sine coitu est à Deo factus, ita Christus ex Virgine sine coniugali copula, sed Spiritu Sancto cooperante processit. Tertiò, Adam dicitur pater omnium secundum carnem, & Christus est Pater omnium secun-

Occasio sumpta ab tria tibus circa dictum Apostoli, erat accepta, non data, vt ex dicto eius constat.

Adam fuit simul Christus, quantum ad aliqua, non quantum ad omnia, & ita non habuit virutē infinitam ad satisfaciendū pro peccato.

Sacerdotia
profluxerunt
de latere
Christi in
Cruce dor-
mientis.

secundum fidem . Quartò , sicut ex latere A Adae dormientis sumpta est costa , vnde facta est Eua , sic ex latere Christi dormientis in Cruce profluxerunt sacramenta , scilicet aqua ablutionis , & sanguis redemptionis , per quæ formatur , perficitur , & saluatur Ecclesia , idest saluatur fidelium multitudo .

Quadam-
Iustitia Dei
Diabolus
tenebat ho-
mine, quem
fraude de-
cepserat.

Ad tertium respondet Magister in littera , dicens , quod quadam iustitia Dei in potestatem Diaboli traditum est genus humanum , peccato primi hominis in omnes originaliter transeunte , & illius debito omnes obligante : vnde omnes homines , ab origine sunt sub principe Diabolo , hoc Deo permittente : licet ergo Diabolus , fraude hominem deceptus , tamen quadam Dei iustitia fuit traditus in potestatem Diaboli , & ut iustitia vinceretur Diabolus , non potentia , per Christi passionem , & mortem debuit redimi ad maiorem Diaboli confusionem , quia ipse vitio suæ peruersitatis amator est potentiae , & desertor , oppugnatorq. iustitiae .

DISTINCTIONIS XX.

Secundæ Partis Principalis

Q VAE S T I O V N I C A

PRINCIPALIS.

De Sacerdotio Christi.

N secunda parte principali huius distinctionis determinat Magister de causa efficiente passionis , & mortis Christi , qui est sacerdos , hostia , & pretium nostræ reconciliationis , ideo in ara Crucis , non Diabolo , sed Deo se obtulit pro omnibus , quantum ad pretij sufficientiam , sed pro electis tantum , quantum ad efficaciam , super hac parte inquiremus de Sacerdotio Christi . Circa quod tria videbimus .

PARS II.

Primum . Vtrum Christus fuerit sacerdos secundum ordinem Melchisedech .

Secundum . Vtrum sacerdotium Christi sit æternum , ex parte rei consideratè in eius sacerdotio .

Tertium . Vtrum sacerdotium Christi sit æternum ex parte insuccessibilitatis .

ARTICVLVS I.

*Vtrum Christus fuerit sacerdos secun-
dum ordinem Melchisedech .*

Conclusio est affirmativa .

Aegid.de renunciatione Papæ cap. 17. D.Thom. 3.p.
q. 22. art. 6. Caiet. Med. Aluar. ibid. & Suar. ad 3.
p. tom. 1. disp. 46. fec. 4. Rag. ad 3. p. tom. 2.
disp. 23. Valq. ad 3. p. tom. 1.
disp. 86. per totam.

AED primum sic proceditur . Videtur , quod Christus non fuerit sacerdos secundum ordinem Melchisedech : nam Melchisedech fuit sine patre , & sine matre , sine genealogia , vt dicitur in libro Genes. sed Christus habuit Patrem Deum , & Matrem B. Virginem Mariam : ergo &c.

Præterea . De Melchisedech dicitur , quod non habuit principium vitæ , neque finem ; sed hoc non potest dici de Christo cum fuerit natus , & mortuus : ergo &c.

Præterea . In tantum sacerdotium Christi potest dici æternum , vt dicitur de sacerdotio Melchisedech , in quantum fides Christi mediatoris fuit remedium salutis semper , & semper erit , sed hoc non videtur verum , quia mundus habuit initium , & habebit finem ; ergo ratione remedij non dicitur non habere initium , neque finem .

IN CONTRARIUM est , quia Apostolus ad Hebr. scribens , & volens præferre sacerdotium Christi , sacerdotio Leuitico , dicit Christi sacerdotium esse æternum , & secundum ordinem Melchisedech , & probat per illud Psal. *Iurauit Dominus* , idest inconcussa veritate firmauit , & non paenitebit eum , idest non immuta-

Gen. c. 14Heb. c. 7.Psal. 105.

mutabit, quod iurauit, *tu*, idest Christus, *Aes sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, quia fuit sacerdos Dei altissimi : ergo &c.

R E S O L V T I O .

Christus fuit sacerdos secundum ordinem Melchisedech ; qui fuit Rex , & Sacerdos ; sacerdotium eius non fuit propter aliud ; non fuit vñctus oleo visibili , sed inuisibili , neque obtulit animalia , vt sacerdotes antiqui : habuit Patrem , & Matrem , & fuit sine patre , & sine matre ; que omnia de Melchisedech verificantur , cuius sacerdotium fuit ante Circumcisionem , & ante Legem , ac sacerdotij Christi figuratiuum .

R E S P O N D E O dicendum, quòd perpetuitatem sine initio, & sine fine possumus attribuere sacerdotio Christi, ex parte remedij, siue ex parte personarum, quibus fuit Christi sacerdotium in remedium; Nam nullus nec ante aduentum Christi, nec post eius aduentum potuit, nec poterit spiritualem Hierosolymam consequi sine fide Mediatoris; vnde Augustinus 18. de Ciuit. Dei, ait: *Nemini concessum est , supple pertinere ad spiritualem Hierosolymam , nisi cui diuinitus reuelatus est unus Mediator Dei , & hominum , homo Christus Iesus ; & idem ibidem subdit : Vna , eademq. fides antiquorum & nostra , quia sicut illi credebant Christum venturum, ita nos credimus ipsum venisse : siue enim in statu Gentilitatis , siue in quoconque statu semper fuit salus per fidem Mediatoris . Non habebant primò ipsi Gentiles , quibus reuelatus est Mediator noster , nec habuerunt Iudæi , quibus promissus est Messias , ita claram intelligentiam de nostro Mediatore , sicut nos habemus , Cum non sit aliud nomen sub cœlo , sub quo oporteat nos saluos fieri , nisi Christus . vt dixit Petrus in Actibus : & quicunque saluati sunt à principio mundi vsque nunc , & quicunque saluabuntur vsque in finem , oportet , vt in fide Mediatoris saluentur . Verè istud sacerdotium Christi ratione hu-*

Aegid.super iij.Sent.

Ius remedij , videlicet , quia fides de hoc sacerdote, idest de Christo Mediatore , semper fuit in remedium , & semper erit dicitur esse in æternum , & non habuisse initium , neque finem .

Vel possumus dicere, tale remedium esse æternum , & nunquam habitum finem , quia personæ , quæ saluantur per tale remedium , habebunt vitam æternam , & nunquam finietur eorum vita, iuxta illud Psalmi: *Beati , qui habitant in domo tua Domine , in scula sacerdotum laudabunt te .* quia nunquam finietur beatitudo illorum. Quantum ergo ad hoc remedium, Christi sacerdotium fuit sine initio , & sine fine , sine initio quidem , quia ex quo fuerunt homines peccatores nunquam fuit opus , cuius fides Mediatoris non esset in remedium : sine fine vero , quia quandiu peccatores durabunt , nunquam erit tempus , in quo sacerdotium Christi , & oblatio eius non sit nobis remedium .

Aduertendum tamen , quòd omnia ista sunt secundum ordinem Melchisedech , propter quinque . Tangit enim Glossa quinque in sacerdotio Melchisedech , quæ Christo conueniunt . Primum quidem est, quòd Melchisedech fuit Rex , & Sacerdos ; Rex quidem Salem , & sacerdos Dei altissimi ; sic & Christus Rex , & Sacerdos erat . Secundum vero , quia Melchisedech fuit functus sacerdotio ante Circumcisionem , vt ex hoc ostendatur (vt Glossa ait) quòd Iudæi à Gentibus , non Gentes à Iudæis sacerdotium acceperunt; in quo figuratur sacerdotium Christi , quia non est res propter figuram , vel à figura , sed magis figura propter rem , & à re originem sumit , & omnia in figura contingebant illis . Sacerdotium scilicet Leuiticum fuit propter Sacerdotium Christi , non autem è conuerso , & Sacerdotium Christi magis fuit causa sacerdotij Leuitici , quàm è conuerso . Tertium quidem , quia Melchisedech cùm fuerit functus sacerdotio ante Circumcisionem non fuit vñctus oleo visibili , secundum quod mandauerat Moyses , nec adhuc fuerat data lex : fuit ergo vñctus oleo inuisibili , & oleo lætitiae , siue exultationis , sicut legitur fuisse vñctus Christus . Quartum , quia ipse Melchisedech non

Sacerdotii Christi in quinque ac similatur sacerdotio Melchise- dech .

Iudæi à Ge- tilibus ta- cerdotium acceperunt .

1.Cor.c.19

Sacerdotia Christi fuit causa sacerdotij Leuitici .

Gen. c. 14.

obtulit animalia, sed obtulit panem, & vinum, ut habetur in libro Gen. cap. 14. in qua oblatione, ut Glossa tangit, Christi sacerdotium figurauit. Quintum, quia Melchisedech habuit patrem, & matrem, & fuit sine patre, & sine matre: Habuit quidem patrem. & matrem, secundum rei veritatem, sed fuit sine patre, & sine matre secundum commemorationem sacrae Scripturæ, quia sacra Scriptura, nec de genealogia eius, nec de patre, nec de matre facit aliquam mentionem, quod, ut diximus, non carnaliter factum est, sed ut ex hoc Filius Dei figuraretur, qui habet, & Patrem, & Matrem, & est sine patre, & sine matre. Habet Patrem secundum Deitatem, à quo per generationem æternam accepit naturam diuinam, & habet Matrem secundum humanitatem, ex qua accepit naturam humanaam. Et est sine patre secundum quod homo, quia nullus homo fuit pater suus, & est sine matre, secundum quod Deus. Propter quod patet, qualiter Christus est Sacerdos in æternum, sine initio, & fine, secundum ordinem Melchisedech, idest eo ordine, & modo, quo fuit figuratus in Melchisedech, in quo fuerunt quinque, quæ ut patuit, possunt Christi sacerdotio congruè adaptari.

RESP. AD ARGUMENTA.

Christus secundum diversas consideraciones dicitur habere patrem, & matrem, & non habere.

Ad primum dicendum, Christum aliquo modo non habere patrem, & matrem: alio modo habere, non habuit patrem, ut homo: nec matrem, ut Deus: sed habuit patrem, ut Deus, & matrem, ut homo.

Habuit principium & finem vita secundum regem, non secundum eum figuratum.

Ad secundum dicendum, quod Melchisedech, secundum rei veritatem, habuit principium vitæ, & finem; sed quia figurauit sacerdotium æternum Christi, propterea de eo dictum est, quod non haberet principium vitæ, neque finem.

Ad tertium dicendum, quod homines peccatores habuerunt initium, & habuerunt finem, quia incœpit mundus, & finietur: pro tanto tamen potest dici, tale remedium non habuisse initium, neque finem, quia si ante fuissent homines peccatores, & ante incœpisset mundus, quām

PARS II.

A incœperit, ante fuisset huiusmodi remedium; & si adhuc ante fuissent peccatores, adhuc ante fuisset tale remedium; propter quod videtur tale remedium non habuisse initium formaliter, quia ab æterno fuit prædestinatum tale remedium, sed habuit initium materialiter, prout personæ illæ, quibus competit tale remedium, non fuerunt a b èterno, sed incœperunt esse in tempore. Et quod dictum est de initio, verum est de fine, nam si finietur tale remedium, hoc erit quia finietur mundus, & status vitæ presentis; sed si semper duraret mundus, semper duraret tale remedium, ut ex hoc dicatur esse sine initio, & sine fine.

ARTICULUS II.

Vtrum Christi sacerdotium sit æternum ex parte rei consideratæ in eius sacerdotio. Conclusio est affirmativa.

C Aegidius de reisfunc. Papæ cap. 18. D. Thom. 3. p. q. 22. art. 5. Caiet. Med. Aluar. ibidem. Rag. ad 3. p. tom. 2. disp. 12. Vasq. ad 3. p. tom. 1. disp. 85. per totam.



ECUNDО queritur. Vtrum Christi sacerdotium sit æternum ex parte rei consideratæ in eius sacerdotio. Et videtur, quod non. Nam dictum est supra, quod tale sacerdotium fuit æternum, quia fuit remedium sufficiens, & totale, D quantum ad omnia peccata, quantum ad omnes personas, & quantum ad omnia tempora tam præterita, quam futura; ideo dicendum est hoc fuisse sine initio, quia nunquam fuerunt aliqua peccata, nunquam fuerunt aliqua persona, nec aliqua tempora, in quibus hoc sacerdotium non esset sufficiens remedium ex parte ante: sed non omnes personas sunt saluatæ per tale remedium: ergo insufficiens sacerdotium fuit, & consequenter ex parte rei consideratæ non fuit uniuersale remedium, & per consequens non fuit hoc modo æternum.

Præ-

Tale remedium non habuit initium formaliter, sed materialiter.

QVAE S T. I.

Præterea. Christus sacerdos fuit homo mortalis, & pro nobis fuit passus, & mortuus, & sepultus: ergo &c.

Heb. c. 7.

Præterea. Secundum legem sacerdos debebat esse mortalis, ideo Apostolus ad Hæbreos loquens, ait: *Lex enim constituit sacerdotes infirmitatem habentes*, sed in sacerdote mortali non reperitur sacerdotium æternum: ergo &c.

Psal. 109.

IN CONTRARIUM est id, quod dicitur in Psal. *Tu es sacerdos in eternum*: ergo &c.

R E S O L V T I O .

Christi sacerdotium est æternum, ut ostenditur ex parte sacerdotis offerentis, qui fuit Christus ex parte hostiæ oblatæ, quæ fuit idem Christus, & ex parte effectus gratiæ, & virtutum, quæ sunt æternæ.

Tria in sacerdotio sunt consideranda.

RESPONDEO dicendum, quod in sacerdotio Christi, siue in oblatione eius triplicem rem considerare possumus, videlicet, rem offerentem, rem oblatam, & rem quæ erat oblationis effectus; omnibus autem his modis probabimus Christi sacerdotium esse æternum.

Heb. c. 7.

Propter primum sciendum, quod Christi sacerdotium dicitur esse æternum, si consideremus sacerdotem, qui obtulit: nam in sacerdotio Leuitico homines mortales accipiebant decimas, & homines mortales, & infirmi fiebant sacerdotes; ideo ad Hebr. loquens Apostolus de sacerdotio Leuitico, ait: *Homines morientes decimas accipiunt*. & post multa in eodem capite, ait: *Lex enim constituit sacerdotes infirmitatem habentes*. Arguat ergo sic. In sacerdotio Leuitico homines mortales, & infirmitatem habentes accipiebant decimas, & erant sacerdotes, & offerebant oblationes: ergo ex parte offerentium, illud sacerdotium non erat perpetuum, nec æternum, sed in sacerdotio Christi, ipse Christus, qui est immortalis, qui est æternus, qui est unus Dei Filius obtulit oblationem Deo Patri: ergo ex parte offerentis, sacerdotium Christi est æternum, quia persona illa erat æterna, quæ offerebat.

Christus dicitur immortalis, & æternus.

Aegid. super iij. Sent.

ARTIC. II.

543

A Secundò, Christi sacerdotium potest dici æternnm ratione rei oblatæ, quia eadem res erat offerens, & oblatæ; idem erat sacerdos, & hostiæ. Christus enim seipsum obtulit; igitur si sacerdotium Christi ratione rei offerentis potest dici esse æternum, quia persona offerens, vel res offerens erat æterna, cum eadem res esset offerens, & oblatæ, consequens est, quod ratione rei oblatæ Christi sacerdotium dicatur æternum. Hoc est ergo, quod ait Apostolus ad Hebr. Heb. c. 7. Accedens, vel vt habet alia littera, *accidentis per se ipsum ad Deum semper viuens ad interpellandum pro nobis*. Ipse ergo Christus seipsum offerens Deo Patri, per seipsum erat accedens ad Deum Patrem, & nos ipsi per Christum sumus accidentes ad Deum Patrem, & ex hoc est semper viuens ad interpellandum pro nobis. quod verum est, tam ratione offerentis, quæ est persona æterna, quam ratione rei oblatæ, quæ est eadem res cum persona offerente, quia ipse seipsum obtulit, & ipse per seipsum accessit.

C Est tamen diligenter notandum, quod cum Christus fuit mortuus secundum carnem, non dicebatur mortuus quantum ad sacerdotium, nec dicebatur mortuus quantum ad salutem, quia per mortem illam non erat Christus inefficax ad salvandum nos, immò moriendo nos salvauit; ideo quantum ad efficaciam salvandi, redimendi, & pacificandi Deum Patrem, semper dicitur viuens, quia moriens non reddebat inefficax ad hoc agendum, cum moriendo nos salvauerit, & nobis Deum Patrem reconciliauerit.

D

Tertia via ad hoc idem sumitur ex parte rei, quæ erat effectus oblationis, & hanc Apostolus appellat ad Hebr. virtute insolubilem, dicens: *Qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vite insolubilis*. consuetudo enim loquendi est, quod cum quis loquitur de aliqua re, quæ virtutem habet, intelligit quem effectum efficiat, & quia sacerdotium Christi habet efficerre effectum spiritualem, quia facit in nobis gratiam, & virtutes, & alia spiritualia bona, quæ non pereunt post hanc vitam, sed perficiuntur in æterna vita, ideo dicitur Christi sacerdotium, quantum ad

Z z 2 hanc

Christus sacerdos, & hostia.

*Est contra-
uersia inter-
Theologos
an Fides, &
Spes rema-
neat in Pa-
tria, quas
Aegidius ad
ornatum ma-
nere putat,
sicut fuit
de chara-
ctere in ani-
ma separa-
ta, ut dicit
in lib. de re-
nunc. Papa
cap. 10 p. 7,
nisi hi clau-
quatur de
virtutibus,
que non re-
pugnant sta-
tui patriæ.*

*Vide infra
dilt. 26. in
princ. con-
tradiccio-
nis vmbri,*

*Glossa su-
per Epist.
ad Heb. c. 7
Heb. c. 9.*

hanc rem, & ad hunc effectum habere A vitutem vitæ insolubilis, quia, vt diximus, gratia, & virtutes, & huiusmodi effectus spirituales, quos facit in nobis Christi sacerdotium, & eius oblatio non soluuntur, cum hac solubili vita, sed perficiuntur in æterna vita, ipsa enim gratia perficietur in patria; ita vt ipsæ virtutes remaneant in anima separata, non ad hunc usum, quem habent in hac vita, sed ad alium usum. Hoc est ergo, quod ait Apostolus: *Manifestum est secundum similitudinem Melchisedech, exurgat alius sacerdos, idest Christus, qui factus est sacerdos, non secundum legem manda- ti carnalis, sed secundum virtutem vitæ insolubilis.* In sacerdotio itaque Leuitico, nec sacerdos offerens erat persona diuina, nec res oblata erat æterna, nec effectus illius oblationis erat quid spirituale, vel quid æternum, sed erat quid carnale, & quid temporale; ideo Glossa exponens illa verba: *Christus factus est sacerdos secundum virtutem vitæ insolubilis*, ait: *Distare inter hoc, & illud sacerdotium, quia illud sacerdotium, scilicet Leuiticum, erat carnale: hoc, videlicet sacerdotium Christi, spirituale, illud temporale, hoc æternum: oblationes enim veteris legis non erant ad sanctificationem spiritus, quantum est ex opere operato, sed erant ad emundationem carnis, vt dicitur ad Hebr. 9. & non ad emundationem animæ, vt exponit Glossa: mundabant enim à cotoctu hominis mortui, vt Glossa ibidem ait: nam tangens mortuos impmundus erat septem diebus, & per oblationes illas mundabatur, vt non reputaretur impmundus: erat ergo illa mudatio, quantum ad cœremonias carnales.*

RESP. AD ARGVM.

*Non ex insuffi-
cientia
remedii,
sed ex indi-
positione
proprialium
tum non sal-
vatur.*

Ad primum dicendum, quod si non omnes personæ sunt saluatæ per tale remedium, hoc non fuit ex insufficientia illius sacerdotij, sed ex malarum personarum obstinatione, quæ præbuerunt obicem, ne remedium illud efficacissimum produceret suos effectus.

PARS II.

Ad secundum dicendum, primò, quod sacerdotes Leuitici erant simpliciter mortales, sed Christus erat mortalis, & immortalis: erat enim unum suppositum, & una persona, quæ erat homo, & Deus: ergo propter unitatem suppositi, & persona erat in Christo, secundum Damasc. & secundum Sanctos communicatio idiomatum, idest communicatio nominum, vel denominationum, quia nomina, seu denominations, quæ illi homini inerant, poterant verè dici de Deo, & è conuerso, & quia homo ille patiebatur, & fuit mortuus, cum homo ille esset Deus, & Dei Filius, fuit mortuus; sicut quia Dei Filius erat immortalis, & Dei Filius creavit stellas, verè dici poterat, quod homo ille erat immortalis, & creavit stellas, non autem in eo, quod homo, sed in eo, quod Deus, quia ille homo Deus erat: fuit enim simul in unum diuines, & pauper, homo, & Deus, mortalis, & immortalis: sacerdotium itaque Christi ex parte sacerdotis offerentis, poterat dici esse æternum, quia persona illa, quæ offerebat, erat persona Christi, quæ erat persona æterna, & homo ille erat Deus, & poterat dici æternus: sed sacerdotes Leuitici simpliciter erant mortales, & non poterant dici æterni, cum essent homines puri.

Secundò ad prefatam obiectionem, possumus respondere, quod secundum sententiam Sapientum, quando modicum deest, intellectus accipit nihil defesse; propter quod quando modico tempore est quid tale, vt si modico tempore sit quid mortuum, quasi semper dicitur esse viuum; dicunt enim plures Sancti de Petro negante, quod charitas in eo non fuit extincta, sed sopita, certum est tamen, quod negando peccauit mortaliter, & extincta fuit in eo charitas, sed dicitur charitas non fuisse exticta, sed sopita, quia tamen citò fletu culpam dilun, & flens amare tamen citò recuperavit charitatem, vt ex hoc possit dici sua charitas non exticta: sic etiam dicitur Christus venturus ad iudicandum viuos, & mortuos, quod scilicet illi, qui tunc erunt viui tamen citò morientur, & resurgent, vt quasi dicantur semper viui; sic & in proposito, tamen modico tempore Christus iacuit

*Verè Dei
Filius po-
test dici,
quod passus
fuit, & mor-
tuus, & ille
homo, idest
Christus,
fuit immor-
talis, &
creavit stel-
las.*

*Cum modi-
cum deest,
intellectus
accipit ni-
hil deesse.*

*Quomodo
intelligatur
Christus es-
se venturus
ad iudicâ-
dum viuos,
& mortuos*

mor-

mortuus , vt quasi dicatur semper viuus . A

Tertiò possumus respondere , quòd Christus , vt sacerdos , etiam cùm esset mortuus , dicebatur viuus ; nam illud dicitur mortuū , quod est inefficax ad agendum , & illud dicitur viuum , quod est efficax ad operandum : Cùm ergo Christus tanquam sacerdos obtulerit seipsum in Cruce , vt nos redimeret , & nobis aperiret coelestem ianuam , vt possimus clare videre diuinam essentiam , quæ erat nobis occulta , & velata ante passionem eius , nunquid eo mortuo , erat hæc oblatione inefficax ad hoc agendum ? immò dum erat mortuus , & illo die , quo fuit mortuus , latro fuit in Paradiſo , idest vidit diuinam essentiam , ibi enim Paradiſus potest accipi pro aperta visione Dei : ergo quantum ad sacerdotium , & quantum ad oblationem , quam fecit , etiam mortuus , poterat dici , quòd esset viuus , quia erat efficax ad agendum id , quod tale sacerdotium requirebat : sacerdotium ergo suum , & oblatio sua non fuit sine efficacia , nam efficaciam habuit antequam fuerit homo , & antequam moreretur , & efficaciam habuit dum esset mortuus , & postquam resurrexit à mortuis . Ante enim Christi aduentum hoc sacerdotium , & hæc oblatio efficaciam habuit , in quantum quicunque saluati sunt ante Christi aduentum , salui facti sunt in fide mediatoris , & operantes secundùm illam fidem mortui sunt , firmi erant , & nullo modo dubitabant , quòd post passionem Christi visuri essent diuinam essentiam . Mortuo tamen Christo , & eo resurgentे habet hæc oblatio maiorem efficaciam , quia quicunque habent fidem Christi , benè moriuntur , & si non habent impedimentum particulare , statim vident Diuinam essentiam : istud ergo sacerdotium semper fuit , & erit efficax , vt ex hoc dicatur esse æternum , vel perpetuum .


Ad tertium dicendum , quòd non valet similitudo de sacerdote legali , & de Christo , vt supra fuit diffusè explicatum .

Efficax ad operandum dicitur viuus , inefficax mortuus .

Latro eo die , quo obiit , cepit videre diuinam essentiam .

Christi sacerdotium efficaciam habuit antequāre hominē .

In corpore articuli .



Aegid.super iii.Sent.

A R T I C . III .

Vtrum sacerdotium Christi sit æternum ex parte insufficiabilitatis. Conclusio est affirmativa .

Aegidius de renunciatione Papæ cap. 19.
& Doctores supra citati .



ERTIO quæritur . Vtrum Christi sacerdotium sit æternum ratione insufficiabilitatis . Et videtur , quòd non . Nam in lege noua sunt multi sacerdotes , & quotidie moriuntur sacerdotes , & alij eis succedunt in sacerdotium , & fiunt quotidie noui sacerdotes : ergo sacerdotium Christi non est æternum ratione insufficiabilitatis .

Præterea . Hebr. 7. ait Apost. *Translatio sacerdotio necesse est , ut translatio fiat ,* Hebr.c.7. sed quod transferibile est , non dicitur æternum propter insufficiabilitatem : ergo &c.

Præterea . Illud est temporale , in quo una pars succedit alteri , sed sacerdoti Christo successerunt multi alij sacerdotes , qui ante non fuerunt , & postea fuerunt : ergo in sacerdotio Christi reperitur successio , & per consequens non est æternum .

I N C O N T R A R I V M est illud Apost.ad Hebr.c.7. vbi loquens de Christo sacerdote ait: *Accedens per semetipsum ad Deum semper viuens ad interpellandum pro nobis :* quod autem est semper viuens est æternum , & non habet successionem : ergo &c.

R E S O L V T I O .

Christi sacerdotium non habuit successionem , neque ex parte sacerdotij , neque sacerdotis , neque oblationis , quæ tria ex D. Paulo clare ostenduntur .

R E S P O N D E O dicendum , quòd tribus modis ostendere possumus , sacerdotium Christi esse æternum , quia non habet successionem : primò ex parte sacerdotij ; secundò ex parte sacerdotis : tertio ex parte oblationis .

Propter primum sciendum, quod Christi sacerdotium non debet dici tempora-le, cum tempus non sit sine successione, sed debet dici æternum, & hoc ex parte ipsius sacerdotij, quia sicut in æternitate nulla potest esse successio, sic sacerdotio Christi nihil aliud potest succedere. Hoc est ergo, quod ait Apostolus ad Heb. 7. volens, quod quia non erat consummatio, idest non erat perfectio, sacerdotium Leuiticum, quod fuit acceptum sub lege, ideo necessarium erat, ut post sacerdotium Leuiticum exurgeret aliud sacerdotium, videlicet sacerdotium Christi, quod sacerdotium non fuit secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech, unde sacerdotium Leuiticum appellat sacerdotium translatum, iuxta illud ad Hebr. 7. *Translato enim sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat;*

Sacerdotii Leuitici sunt factum sine iureinrando, sed sacerdotii Christi sunt cum iureiuendo.

*Dicamus ergo, quod sacerdotes Leuitici facti sunt sacerdotes sine iureiurando, quia sacerdotio Leuitico debebat succedere aliud sacerdotium: sed Christus factus fuit sacerdos cum iureiurando, quia sacerdotio Christi nullum aliud debet succedere. Hoc est, quod ait Apostolus ad Hebr. 7. *Alij quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere.**

Alij sacerdotes Leuitici erant sacerdotes plures, quia per mortem unus succedebat alio. Mors ergo cogebat, ut non semper posset permanere idem sacerdos, sed fierent plures sacerdotes, saltem successiæ. Vult ergo Apostolus, quod in lege veteri erant plures sacerdotes, sed in lege noua non est nisi unus, & idem sacerdos, scilicet Christus. Arguatur ergo sic, quandoque semper manet unus, atque idem sacerdos (quia sacerdos non succedit sacerdoti) illud sacerdotium est æternum: sed in sacerdotio Christi semper est unus, & idem sacerdos; ergo eius sacerdotium est æternum.

*Tertio possumus hoc idem probare ex identitate, & unitate, siue ex insuccessibilitate ipsius oblationis; nam sicut sacerdotio Christi sacerdotium aliud non succedit, nec sacerdos aliis huic sacerdoti, sic nec oblatio alia succedit huic oblationi. Hoc est ergo, quod Apostolus ait ad Hebr. 7. *Sacerdotes Leuitici quotidie (idest sape, ac saepius) pro suis delictis, deinde pro populo hostias offerre.* Hoc enim fecit Christus semel se offerendo. In sacerdotio ergo Leuitico, ubi quotidie*

A modo, & ordine, quia modo non offe-runtur animalia, sed offertur panis, & vinum, idest offertur corpus Christi sub spe-cie panis, & sanguis eius sub specie vini, prout figuratum fuit in Melchisedech, qui panem, & vinum obtulit, dicitur vetus sacerdotium esse translatum, & lex ve-tus translata, & sacerdotio Leuitico suc-cessit sacerdotium Christi: durauit ergo sacerdotium Leuiticum usque ad Chri-stum, sub eodem ergo sacerdotio Leuitico fuerunt multi sacerdotes, quia nullus sa-cerdos potuit tantum viuere, vel durare, B quantum durauit sacerdotium Leuiti-cum; & sub eodem sacerdotio Leuitico fuerunt multæ oblationes successiæ, quia idem sacerdos Leuiticus quotidiæ offerebat, & faciebat aliam, & aliam oblationem.

Probavimus ergo supra sacerdotium Christi esse æternum ex parte ipsius sa-cerdotis, quia sacerdoti Christo non po-test succedere aliis sacerdos, ideo dicit Apostolus Heb. c. 7. *Alij quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere.* Alij sacerdotes Leuitici erant sacerdotes plures, quia per mortem unus succedebat alio. Mors ergo cogebat, ut non semper posset permanere idem sacerdos, sed fierent plures sacerdotes, saltem successiæ. Vult ergo Apostolus, quod in lege veteri erant plures sacerdotes, sed in lege noua non est nisi unus, & idem sacerdos, scili-cet Christus. Arguatur ergo sic, quandoque semper manet unus, atque idem sacerdos (quia sacerdos non succedit sacerdoti) illud sacerdotium est æternum: sed in sacerdotio Christi semper est unus, & idem sacerdos; ergo eius sacerdotium est æternum.

Tertio possumus hoc idem probare ex identitate, & unitate, siue ex insuccessibilitate ipsius oblationis; nam sicut sacerdotio Christi sacerdotium aliud non succedit, nec sacerdos aliis huic sacerdoti, sic nec oblatio alia succedit huic oblationi. Hoc est ergo, quod Apostolus ait ad Hebr. 7. *Sacerdotes Leuitici quotidie (idest sape, ac saepius) pro suis delictis, deinde pro populo hostias offerre.* Hoc enim fecit Christus semel se offerendo. In sacerdotio ergo Leuitico, ubi quotidie

Sacerdotii Leuitici durauit usque ad Christum.

die fiebant oblationes , oblatio successit A oblationi : sed in sacerdotio Christi , qui nonnisi semel seipsum obtulit , oblatio non successit oblationi .

Arguat ergo sic : Vbicunque non est successio , illud non mensuratur mensura successiva , & per consequens non mensuratur tempore , nec est temporale : sed in sacerdotio Christi non est successio , quia eius sacerdotio non potest succedere aliud sacerdotium , nec sacerdoti alias sacerdos , nec eius oblationi alia oblatio: ergo ipsius sacerdotium non est quid temporale : ergo est perpetuum , vel æternum ..

R E S P . A D A R G V M E N T A .

Ad primum dicendum , quod sicut probauimus æternitatem sacerdotij Christi , quia in posterum nunquam exurget aliud sacerdotium , sic etiam probauimus æternitatem dicti sacerdotij ex identitate , & unitate sacerdotis ; cum sicut sacerdotio Christi non succedit aliud sacerdotium , ita nec sacerdoti Christo succedit alias sacerdos , & quia mensura successiva est tempus , consequens est , quod Christi sacerdotium , quia in eo non cadit successio , per se , & directe non mensuretur tempore .

Vel dicendum , quod omnes sacerdotes sub sacerdotio Christi possunt dici vnius sacerdos : tum ratione vnius offerentis , quia omnes asserunt in persona vnius sacerdotis Christi , unde cum conficit quilibet sacerdos dicit : *Hoc est corpus meum* . constat autem , quod corpus , quod conficit sacerdos , non est corpus ipsius sacerdotis , sed est corpus Christi : omnis ergo sacerdos loquitur in persona Christi : tum ratione rei oblatæ , quia omnes offerunt vnam , & eandem rem , vide licet corpus Christi verum , non solum vnum , & idem specie , sed vnum , & idem numero , quod Christus traxit de Virgine , quod fuit eleuatum in Cruce , resurrexit a mortuis , & cum quo Christus ascendit in Cœlum , tum tandem ratione commemorationis ; cum enim hoc sacramentum celebramus , commemoramus mortem Christi , vel annunciamus mortem eius , iuxta illud Lucae 22. *Accepto pane*.

Omnes sacerdotes sub sacerdotio Christi possunt dici vnius sacerdos ratione offerentis , rei oblatæ , & cōmemoria iōnis , id est suæcessio , neq; mors , licet sacerdotes puri homines quotidianè moriantur.

gratias egit , & fregit , & dedit eis , atcens : *Hoc est corpus meum , quod pro vobis tradetur , hoc facite in meam commemorationem* . & 1. ad Cor. cap. 11. *Quotiescumque enim manducabis panem hunc , & calicem bibetis , mortem Domini annunciatibis* . Patet ergo ex dictis , quomodo sub sacerdotio Christi omnes sacerdotes possunt dici vnius sacerdos ratione eorum , qui conficiunt , & offerunt , quia omnes conficiunt in persona Christi : ratione rei , quam offerunt : & ratione eius , quod commemorant , quia omnes commemorant eandem mortem Christi .

Ad secundum dicendum , quod Apostolus cum dixit , *translato sacerdotio &c.* loquutus fuit de sacerdotio Leuitico , non de sacerdotio Christi .

Ad tertium dicendum , quod Christo non successerunt alij sacerdotes propter rationes adductas in responsione ad primum , nisi velimus loqui de successione sacerdotum materialiter , quod non est ad propositum , quia non est succedere in sacerdotio , neque in oblatione , neque in persona Christi , quæ manet in æternum .

Translatio
cōpetit sa-
cerdotio
Leuitico ,
non sacer-
dotio Chri-
sti.

Negatur mi-
nor argu-
menti.

D I S T I N C T I O X X I .



O S T p̄ædicta considerandum est , &c. Postquam in superioribus distinctionibus proximè precedentibus determinauit Magister de gratia , scientia , & defectibus , quos Christus in humana natura assumpsit ; & de his , quæ per naturam assumptam fuit operatus , id est de meritis ipsius : In presenti distinctione tractat de morte , quam in natura humana sustinuit , & diuiditur in duas partes , in quarum prima querit utrum mors fuerit in Christo per separationem diuinitatis à carne . In secunda supposito , quod non , ostendit qua ratione Christus dicatur mortuus , secunda pars incipit ibi : *Recedete verà anima &c.* Prima pars diuiditur in duas partes , primo enim proponit questionem , secundo eam determinat ,

minat. Secunda pars incipit ibi: *Quidā putauerunt carnē, &c.* & hæc secunda diuiditur adhuc in duas partes: primò enim quorundam excludit errores: secundò veritatem confirmat. Secunda pars incipit, ibi: *Sicut Augustinus super Io. dicit, &c.* Prima istarum diuiditur in partes duas: primò enim excludit erroris probationem sumptam ex ratione, & authoritate Ambrosij. Secundò excludit probationem supradicti erroris, sumptam ex authoritate Athanasij. Secunda pars incipit, ibi: *Alij quoque autoritate, &c.* prima istarum diuiditur in tres partes; in prima ostendit rationem ipsorum; in secunda authoritatem, quæ pro eis facere videtur; in tertia soluit. Secunda pars incipit, ibi: *Alij quoque auctoritate nituntur, &c.* Tertia ibi: *Quibus respondemus, &c.*

Prima verò pars, in qua includit probationem supradictam ex auctoritate Athanasij, diuiditur in partes tres: primò enim ponit obiectionem ex auctoritate Athanasij. Secundò ostendit, quod illa auctoritas non fuit pro eis. tertio auctoritatem exponit. Secunda pars incipit ibi: *Quibus respondemus, &c.* Tertia ibi: *Sciendum est ergo, &c.* & sic terminatur sententia præsentis distinctionis.

Circa hanc distinctionem queremus duo.

Primum de instanti, in quo Christus non viuebat.

Secundum de identitate Christi in triduo.

DISTINCTIONIS XXI.

Primæ Partis

QVAESTIO PRIMA PRINCIPALIS.

De ultimo instanti vita Christi.



VIA in prima parte istius distinctionis Magister tractat de morte Christi per separationem animæ à corpore, & non à diuinitate, quia nec anima, nec caro sicut in morte à Verbo diuisa, ita ut aliquo

PARS I.

A modo fuerit vno soluta: ideo hoc supposito, querimus vnum, videlicet.

Vtrum sit dare ultimum instans, in quo Christus viuebat.

ARTICULUS.

ET VNICVS.

Vtrum sit dare ultimum instans, in quo Christus viuebat. Conclusio est negativa.

Aegid. quodlib. 4. q. 5.

A D primum sic procedit. Videtur, quod sit dare ultimum instans, in quo Christus viuebat: quia quicquid viuit, in aliquo tempore, viuit in quolibet illius temporis: loquendo ergo de tempore, in quo vixit Christus, viuebat in quolibet illius temporis: ergo viuebat in ultimo instanti illius temporis.

Præterea. Cum ex aqua sit ignis, debet dari ultimum instans, in quo non est aqua, & primum instans, in quo est ignis: ita in morte Christi erat dare ultimum instans, in quo viuebat, & primum instans, in quo non viuebat.

Præterea. In eodem instanti non possunt verificari duo contradictoria: si ergo non esset dare ultimum instans, in quo Christus viuebat, in instanti uno verificantur ista duo, Christus viuit, & Christus non viuit, quod est impossibile.

D IN CONTRARIUM est, quia si esset dare ultimum instans, in quo viuebat, cum sit dare primum instans, in quo fuit mortuus: & inter quilibet duo instantia sit dare tempus medium, in illo tempore medio nec fuisset viuus, nec mortuus: nam illud tempus fuisset post ultimum instans vitæ: ergo in illo tempore non vixisset, & fuisset ante primum instans mortis, ergo non fuisset mortuus, quod est inconveniens.

Inter duo instantias se per mediat tempus.

RESOLVTIO.

Non datur ultimum instans, in quo Christus viuebat, sed primum, in quo incipit esse mortuus, quia non dantur duo instantia, sed duo tempora, & unum instans, quod est tribendum posteriori tempori: idque ratione eius, quod est de tempore: partium temporis. & ipsius temporis, ostenditur.

RESPOND E O dicendum, quod hæc quæstio mota de vita Christi adaptari potest ad corruptionem cuiuslibet rei. Ut si ex igne fiat aqua: si est dare ultimum instans, in quo est ignis, & primum, in quo est aqua, in tempore medio non esset ignis,

Tépus, quo mensurabatur vita Christi fundatur in motu primi mobilis.

neque aqua; dicemus ergo, quod tempus, quo mensurantur res corruptibles, & quo mensurabatur vita Christi, prout viuebat vita mortali, fundatur in motu primi mobilis; & quia motus primi mobilis semper est continuus, oportet huiusmodi tempus quamdiu durat esse quid continuum. In continuo autem non est dare duo indubitabilia simul: Cum ergo ex viuo fit mortuum: vel cum ex aliquo fit aliquid, non est ibi dare duo instantia sine tempore medio: fed est ibi dare unum solum instans copulas vnam partem temporis cum alia. Si ergo ex igne fit aqua, quia nunquam est singulare medium, in quo nec sit ignis, nec sit aqua: non dabimus ultimum instans, in quo sit ignis, & primum, in quo est aqua, quia inter illa duo instantia caderet medium: & inter esse ignem, & esse aquam nullum cadit medium: vel ergo dicemus, cum ex igne fit aqua, quod per totum tempus fuit ignis, & in instanti, ad quod copulatur illud tempus, incipit esse aqua: vel quod in ultimo instanti illius temporis fuit ignis, & in tempore, quod immedieate copulabatur ad illud instans fuit aqua. Sunt ergo ibi duo tempora, unum in quo est ignis, & aliud in quo est aqua: sed inter illa duo tempora non cadit nisi unum instans: illud ergo instans, vel dabimus igni, qui esse definit, vel dabimus aquæ, quæ esse incipit. Vtrique autem illud instans dare non possimus, quia non potest esse, quod in eodem instanti aliquid sit ignis, & aqua: nec pa-

Inter duo tempora non cadit, nisi unum instans.

A test dici, quod neutri detur, quia cum ex aqua sit ignis, nullum est dare instans, in quo nec sit aqua, nec ignis: igitur si huiusmodi instans dandum est alteri eorum secundum sententiam Philosophi in 8. Physic. dandum est posteriori. Si ergo ignis sit aqua, quia prius fuit ignis, & postea aqua, non dabitur ultimum instans, in qua fuit aqua: sed dabitur primum instans, in quo incipit esse aqua. Sic in proposito, si aliquid prius est viuum, & postea incipit esse mortuum, non dabimus ultimum instans, in quo viuebat, sed

B primum instans, in quo incipit esse mortuum. Dicimus enim, quod per totum tempus viuebat, & in instanti, quod copulabatur ad illud tempus, incipit esse mortuum.

Possulum autem assignare triplicem rationem eius, quod ait Philosophus in 8. Physic. videlicet, quod instans semper est posterioris rei, & non prioris. Prima ratio sumitur ex parte eius, quod est de tempore. Secunda ex parte partium temporis. Tertia ex parte ipsius temporis.

Prima sic patet; dictum est enim, quod non est dare, nisi unum instans, inter duas partes proximas temporis. dictum est etiam, quod illud instans non potest utriusque rei esse prioris, & posterioris, quia tunc simul esset aliquid sub oppositis formis. Nec etiam esse potest, vt sit nullius, quia tunc in transmutatione esset dare instans, in quo subiectum, nec esset in forma proposita, nec sub opposita, quod esse non potest; quia agens naturale expoliando inducit, & inducendo expoliat. Dabitur ergo illud instans alteri tantum. Dignius est autem, vt detur rei posteriori, quæ magis habet de entitate, quia esse incipit, quam rei priori, quæ minus habet de entitate, quia esse definit; oportet autem in mensura quandam analogiam seruare: vt quod plus habet de entitate, detur ei, quod plus habet de entitate: instans autem plus habet de entitate, quam tempus, ideo debet dari rei, quæ plus habet de entitate. Tempus autem, quod habet minus de entitate, dabitur rei, quæ minus de entitate habet. Quod autem instans plus habeat de entitate, quam tempus; patet ex parte eius, quod est de tempore: nam

Instans dan- dum est po- steriori, quando ex aliquo fit aliquid.

Arist. 8. phy- sic. c. 11.

Agens na- turale expo- liando for- mas indu- cit, & indu- cendo ex- poliat.

Instans de- betur poste- riori, quia plus habet de entita- te.

Instans plus habet de entitate, quam tem- pus.

non

non est de tempore nisi instans; si ergo A de tempore non est nisi instans, confequens est, quod instans plus habeat de entitate, quam tempus. Ex parte itaque mensurarum sunt duo, quorum unum plus habet de entitate, ut instans; aliud verò minus, ut tempus: res enim mensuratae sunt duas, quarum una minus habet de entitate, ut res prior, quae esse desinit, alia verò plus, ut res posterior, quae esse incipit; res enim prior tendit ad non esse, res posterior incipit esse: instans ergo, quod plus habet de entitate, dabitur rei posteriori: ut si materia prius sit sub forma ignis, & postea sub forma aquæ, instans illud medium, quod diuidit inter tempus, in quo prius fuit ignis, & postea est aqua, non dabatur rei priori, id est, igni, qui esse desinit; sed posteriori, id est aquæ, quae esse incipit: priori autem dabatur tempus, & dicemus, quod per totum tempus fuit ignis, & in instanti incipit esse aqua.

Secunda via ad hoc idem sumitur ex parte partium temporis; ostensum est enim, quod instans plus habet de entitate, quam tempus, ex parte eius, quod

C est de tempore, quia non est de tempore nisi instans: sed quod hoc sit verum, & quod instans plus habeat de entitate, quam tempus, patet ex parte partium temporis. Nam aliter sunt successiva, & aliter permanentia: esse enim permanentium est ex simultate partiū: Successiorum

D esse permanentia constitut in simultate partium: esse verò successiorum in ordine partium.

verò in ordine partiū: ideo enim motus est, quia partes eius, secundum quendam ordinem sibi ipsis succedunt: sic etiam, & tempus est, non quia partes temporis simul sint, sed quia sibi inuicem ordinatè succedunt: Iste autem ordo partium temporis non potest fundari, nisi in eo, quod est de tempore, scilicet in ipso nunc. Igitur nunc, in quo fundatur ordo partium temporis, ex quo ordine dicitur esse tempus, habet plus de entitate, quam tempus. Arguatur igitur tunc, ut prius, quod si instans plus habeat de entitate, quam tempus, plus dabatur rei posteriori, quae entitatem accipit, & quae esse incipit, non priori, quae entitatem perdit, & quae esse desinit.

Tertia via ad hoc idem sumitur ex parte ipsius temporis. Imaginabimur enim,

quod nunc est id, quod fluit, tempus autem est ipse fluxus: ideo tempus materialiter est idem, quod motus: nunc verò est idem quod substantia rei mobilis: cùm ergo mobile, vel substantia rei mobilis plus habeat de entitate, quam motus, nunc plus habebit de entitate, quam tempus, dabatur ipsum nunc, quod plus habeat de entitate, rei posteriori, quae esse incipit, non priori, quae entitatem perdit.


Nunc temporis est id quod fluit, & tempus est ipse fluxus.

B Si ergo Christus prius fuit viuus, & postea incœpit esse mortuus, instans illud, quod diuidebat inter tempus vitæ, in quo anima erat coniuncta corpori, & tempus mortis, in quo anima erat separata, non dabatur coniunctioni animæ, quae esse desinit: sed separationi, quae esse incipit. Non enim dabimus ultimum instans, in quo anima fuit coniuncta corpori, sed dabimus primum instans, in quo fuit separata à corpore: dicemus enim, quod per totum tempus Christus fuit viuus, & fuit anima coniuncta corpori, & in instanti, quod copulabatur ad illud tempus, fuit anima separata.

RESP. AD ARGUMENTA.

Ad primum argumentum dicendum, quod quicquid viuit in aliquo tempore viuit in quolibet, illius temporis: verum est, prout viuit in illo tempore. Christus autem vixit per aliquod tempus, cum exclusione instantis, ad quod copulabatur illud tempus: illud ergo instans non erat illius temporis, prout erat mensura vitæ, quia non pertinebat ad vitam, cùm in illo instanti esset mortuus. Vixit ergo Christus per aliquod tempus, & vixit in quolibet illius temporis, prout illud tempus pertinebat ad vitam; ex hoc ergo non sequitur, quod vixit in ultimo instanti illius temporis, quia illud ultimum instans, ut dictum est, non pertinebat ad vitam; & per hoc partet responsio ad secundum, & tertium.

Negatur argumenti cōsequentia, quia illud ultimum instantis non pertinebat ad vitam.



D I S T I N C T I O N I S X X I .

Secundæ Partis Principalis

Q V A E S T I O V N I C A

De identitate Christi hominis in triduo mortis eius.

V P E R secunda parte principali huius distinctionis, in qua Magister tractat de ratione, qua Christus dicitur mortuus, videbimus tria.

Primum. Vtrum Christus in triduo fuerit idem homo.

Secundum. Vtrum in homine sit tantum vna forma substantialis.

Tertium. Vtrum sit possibile, aliquas dispositiones accidentales praexistere in materia ante animam.

A R T I C U L V S I .

Vtrum Christus in triduo fuerit idem homo. Conclusio est affirmativa.

Aegid. in Defens. ar. 7. D. Th. in de quodl. idem D. Th. 3. p. q. 50. art. 4. Caiet. Med. ibidem. Fauent. in 3. sent. d. 22 disp. 51. Scotus eadem d. q. 1. D. Bonau. in 3. sent. d. 11. q. 1. art. 2. Richar. & Dur. in 3. diff. 22. q. 1.

D



E F E N D I T Aegidius hic doctrinam sui præceptoris D. Thomæ, & ait. D. Thom. quodlib. 11. q. 1. vbi querit. Vtrum Christus in triduo fuerit idem

homo; in responsione principali, dicit sic: Non potest dici, quod corpus Christi simpliciter fuerit idem numero, quia quilibet differentia substantialis excludit idem

A simpliciter: animatum aut est differentia substantialis, & mori est corrupti. Nec iterum potest dici, quod sit simpliciter non idem, vel aliud, quia non est secundum totam substantialiam non idem, aut aliud.

Dicebant aduersarij D. Thomæ, ipsum sanctum Doctorem retractasse dictam positionem: sed quia retractatio non inuenitur scripta, ideo &c.

Dicendum, quod corpus Christi mortuum in triduo fuit idem corpus numero simpliciter: non solum propter unitatem suppositi divini, quod solum ibi erat, sed etiam propter unitatem formæ substantialis corporis, in quantum corpus: eadem enim est forma corporis viui, & mortui.

Ad rationem dicendum, quod animatum non est differentia substantialis corporis, ut corpus est: sed in quantum viuum: est enim aliquid verè corpus sine anima: unde mori est corrupti, non corporis, ut corpus, sed corporis viui in quantum viuum fuit. & catholicè est credendum, & tenendum, quod fuit idem simpliciter, quia eandem habuit materiam, & formam substantialiem, vel corporalem.

Opinio a d. uersarij D. Thomæ, quod corpus Christi in triduo fuit idem simpliciter propter eandem materiam, & eandem formam substantialē, & corporalē,

Aliter dici potest ad rationem, quam insinuat, quæ sic formari potest. Differentiae substantiales secundum Porphyrium faciunt aliud: sed animatum, & inanimatum sunt differentiae substantiales corporis secundum eundem: ergo faciunt corpus aliud, & aliud: ergo corpus Christi prius animatum, & postea inanimatum, est aliud, & aliud.

Dici potest, quod inanimatum duplicit accipi potest, scilicet priuatiuè, & sic non est differentia constitutiva, quia priuatio nihil constituit: ergo sic nec etiam est differentia diuisiua, quia secundum Porphyrium eadem sunt differentiae diuisiuae generum, & constitutiuae specierum: Inanimatum ergo sic acceptum priuatiuè, non facit corpus Christi aliud: immo potius arguit, quod sit idem numero: absentia enim certæ formæ fit in eadem secundum numerum, vbi fuit presentia, sicut dicitur in prædicamentis, quod priuatio, & habitus dicuntur circa idem aliquid: & hoc modo succedit inanimatum priuatiuè.

inanimatum animato in corpore Christi. A

Inanimatum
positiuem. Alio modo accipitur inanimatum in divisione corporis, scilicet positiuem: positiuam enim oportet esse differentiam, quae constituit inferius, & dividit superioris, & sic acceptum inanimatum facit aliud: sic autem non accipitur in corpore Christi mortui, vel in quolibet alio.

I N C O N T R A R I V M est D. Thomas vbi supra .

RESOLV TIO.

Christus in triduo habuit idem numero corpus simpliciter ratione suppositi diuini.

Defensio
doctrinae
D. Thomæ. R E S P O N S I O ad hæc secundum D. Thom. est, quod corpus Christi vivum, & mortuum fuit idem numero simpliciter ratione suppositi, vt dictum est in defensorio in responsionibus ad obiecta contra primam partem art. 31. Responsiones vero, quas hic afferunt ad argumentum D. Thomæ, nihil valent, sicut patet intuiti, & diffusus patebit in duobus sequentibus articulis. Quod enim primò affirmant, quod eadem est forma substantialis vivi, & mortui, est contraria Philosophum, & contra omnem (vt creditur) veritatem. Quod vero, quasi corrigendo se, dicunt de inanimato priuatius, & positiuem sumpto, fictitium est secundum Philosophum, & omnes eum intelligentes: nunquam enim est priuatio formæ substantialis, nisi cum priuatione alicuius, que non compatitur secum præcedentem priuationem.

Quod vero dicunt, quod priuatio, & habitus habent fieri circa idem, sic intellegitur secundum Philosophum, quod priuatio, & habitus in genere accidentis habent fieri circa idem subiectum actu existens: sed in genere substantiarum circa materiam primam, quae est ens in potentia, sicut patet per eundem Philosophum ubique. Veritas huius articuli

clarior apparebit ex duabus sequentibus.



PARS II.

A R T I C U L V S II.

Utrum in homine sit tantum una forma substantialis. Conclusio est affirmativa.

Aegid. in Defens. D. Thomæ super p.p. ar. 31. D. Thom.
1. p. q. 76. art. 3. Caet. Bannes ibidem. Alfonſ To-
let. 2. de Anima. q. 1. art. 2. Antonius Ruinus
lib. 1. de Anima q. 6. Arg. 4. sent. d.
13. art. 1. ante medium.



I V V S Thomas in p. p. q. 76. art. 3. in reſponsione principali, dicit, quod in homine est tantum una forma substantialis, scilicet anima intellectiva, qua homo est animal vegetabile corpus, Quod probat primò sic in libro de Ecclesiasticis dogmatibus, neque duas animas dicimus esse in homine, sicut Iacobus, & alij heretici scribunt, unam animam, que corpus vivificat, & qua animatur corpus, & immixta sit sanguini, & aliam spiritualem, quae rationem ministret. Sed dicimus unam, & eandem esse in homine, quae & corpus sua societate vivificat, & ipsum sua ratione disponit.

Et arguit sic. sicut homo est in genere animalis, ita & in genere corporis animati, & corporis, & substatiæ: sed per unam, & eandem formam, quae est anima, est homo, & animal, vt ex supradicta autho- ritate patet, ergo ex eadem ratione per unam, & eandem formam collocatur in generibus superioribus, & sic non preexistit ante animam animalis forma in materia.

Secundo sic, nihil est simpliciter unum, nisi per formam unam, per quam res habet esse; est autem homo simpliciter unum; ergo tantum habet unam formam, scilicet animam.

Tertio apparet hoc impossibile ex modo prædicationis. Quae enim sumuntur à diuersis formis, prædicantur de se inuicem, vel per accidens, si formæ ad inuicem non sunt ordinatae, vt album, & dulce: vel si formæ sint ad inuicem ordinatae, tunc est prædictio per se, secundo modo dicendi per se: ergo si alia sit for ma,

Iacobus ha-
reticus, ex
quaproces-
ferunt Ia-
cobitæ.

per eandem
formam ho-
mo penitus
in pluribus
generibus.

ma, qua dicatur animal, & alia, qua dicatur homo, sequitur vnum prædictorum, scilicet, quod vel est prædicatio per accidens, si haec duæ formæ nō sint ordinatæ ad inuicem, vel quod sit prædicatio per se, secundo modo per se, si vna eartū sit præambula ad alteram, utrumque autem istorum manifestè, falsum est, quia animal prædicitur de homine per se, non per accidens, homo enim nō ponitur in diffinitione animalis, sed è conuerso. Oportet ergo eandem, formam esse per quam aliquid est animal, & per quam aliquid est homo, alioquin homo non esset verè vnum, nec animal per se de homine predicaretur.

Quarto apparet hoc esse impossibile, ex hoc, quod vna actio animæ, cum fuerit intensa impedit aliam, quod nullo modo contingere, nisi principium actionis esset per essentiam vnum.

Præterea. 2. de Anima comparat Philo, huiusmodi diuersas animas ad diuersas species figurarū, quarū vna continet aliā, sicut pentagonū continet trigonum, & excedit: sic igitur anima intellectiuā habet in virtute, quicquid habet sensitiuā brutorum; & anima vegetatiua, siue nutritiuā plantarum: sicut igitur superficies, quæ habet figuram pentagonam, nō per aliam figuram est pentagona, & per aliam tetragona, quia superflueret tetragona, ex quo in pentagona continetur: ita nec per aliam formam est animal, & per aliam homo, sed per vnam, & eandem.

Præterea. In responsione quarti articuli dicit, quod si alia forma substantialia in homine præcederet animam intellectuā, anima non daret esse simpliciter, sed secundū quid: nec per eius accessum, & recessum corpus generaretur, & corrumperetur simpliciter, sed solum secundū quid, quæ sunt manifestè falsa; ergo oportet, quod sicut anima continet virtute sua vegetatiua, & sensitiuam: ita etiam virtute sua contineat omnes alias formas superiores & ita in homine facit, quicquid animæ priores faciunt in alijs. Hæc Diuus Thomas.

Contra quem dicunt aduersarij, hanc positionē de unitate formæ substantialis reprobari à Magistris: primò quia ex ipsa sequuntur plura contraria fidei Catholice; secundò, quia contradicit philosopho Aegid. super iii. Sent.

A phia: tertio, quia repugnat sacræ doctrinæ, & Scripturæ.

Primum patet, quia fides ponit, vnum esse corpus numero, quod Filius Dei sumpsit de Virgine, quod Virgo peperit, quod in cruce peperit, vnum, & idē fuit mortuum in patibulo, & sepultum in triduo, si autem illius corporis Christi non fuisset alia forma substantialis, quam anima intellectiuā, postquam illa fuit separata, vel remansit materia prima sola, vel alia forma substantialis fuit introducta. Ex quibus sequitur, quod nō fuerit idem numero in patibulo, & sepulchro: si enim remansit sola materia prima, non erat corpus, ergo nec idem corpus numero, materia enim prima non est corpus.

Præterea. Ex hoc sequuntur multa contra fidem de corpore Christi mortuo, scilicet, quod non fluxisset ex eo sanguis, & aqua, cuius contrarium docet Euang. Ioan. Item quantum non fuisset, quia materia prima non habet situm de se, nec locum. Ioan. 6. 19.

Præterea. Materia prima neque est grauis, neque leuis. corpus autem Christi in triduo fuit graue, & multa sequuntur inconuenientia.

Si vero dicatur propter hoc, quod alia forma substantialis virtute coeli sit introducta, sequitur, quod viuum, & mortuum non fuit idem numero, vbi enim est alia forma substantialis, ibi est aliud corpus, ergo in triduo non fuisset corpus, quod assumpsit.

Præterea. Fides ponit, quod in Sacramento Altaris totus panis conuertitur in totum corpus Christi. Si ergo in vero corpore Christi non est nisi materia prima, & anima, cum panis non conuertatur in animam, quia corpus non conuertitur in spiritum, sequitur, quod panis conuertitur in materiam primam, quod est contra fidem, & contra illud verbum Domini: Hoc est corpus meum; non dicit, hec est materia mea.

Præterea. Fides ponit, quod omnes alii à Christo contraxerūt originale peccatum, non ex hoc, quod anima sit peccatrix, vel causa originalis peccati: sed ipsa munda creata à Deo ex unitate ad carnem, ex primis parentibus introductam naturali propagatione, & in ipsis originaliter infedā, non ex unitate ad materiam primam. Si

A a a ergo

ergo in homine non esset nisi anima, & A materia prima, ex parte anime non potest contingere peccatum originale, quia nec fuit in primo parente, nec Deus creando dat anime originale peccatum, quia tunc antequam fuisset peccatum actuale Adę, fuisset in eo peccatum originale, & etiam ubique fuisset materia prima, ibi fuisset originale peccatum, quod falsum est: sequitur ergo, quod in homine non esset peccatum originale, nec fuit, si una forma sola est in homine, scilicet anima intellectua.

Secundò reprobatur, quia contradicit philosophię, si sola anima intellectua immediate est perfectio materię primę, tunc in homine non esset forma animalis, nec mixti de quibus philosophia multa dicit, & scribit, & sic cessabit studiū medicinę

Præterea. Forma vna, & eadem numero dabit esse corporale, & spirituale; & per consequens simul erit corporalis, & spiritualis. Item quod materia sit grauis, vel leuis, & quod habeat corpus ab anima, quod sit graue, vel leue, & non ab elemento dominante in corpore.

Item repugnat sacre Scripturę Io. c. 3. C Soluite templū hoc, & in triduo reædificabo illud; & sequitur, hoc autem dicebat de templo corporis sui. Constat autem, quod idem corpus numero supponitur, cum dicit hoc, & demonstratur, cum dicit illud, per ly hoc, demonstratur corpus Christi viuum, & per ly illud, mortuum, dum fuit sine anima, & idem numero, quod non esset verum, si non esset in corpore Christi alia forma substantialis præter animam: ergo plures formę substantiales fuerunt in corpore Christi, & in alijs, quia unius naturę fuit homo nobiscum. Vnde Anielmus Monolo c. 17. cum aliquis homo dicitur corpus, & rationalis, & homo, non uno modo, sed alia ratione hec dicuntur, secundum aliud autem est corpus, & secundum aliud est rationale. Et Aug. lib. retract. c. 58. illud quoque temerè dictum est à summa essentia speciem tribui corpori per animam, quę est, qua quantum est, & qua corpus est. Corpus ergo per animam subsistit, etiam in eo ipso, quo animatur, siue universaliter ut numerus, siue particulariter, ut quocunque animal, Hoc quoque totum prorsus temerè di-

ctum est. His ergo verbis retractat Augustinus, quod dixerat de immortalitate anime. Si ergo dicendum est temerè, quod anima dat speciem corporalem, id est formam, quę est in quocunque esse, & hoc dicit predicta positio: restat per Augustinum, quod temerè dixerit: sed contra hoc videtur esse, quod dixit in quæstione 75. artic. 5. in respons. ad quæst. Si anima est composita ex materia, & forma, nullo modo posset dici forma corporis, cum materia nullius sit forma.

B Respondetur, quod sicut ponimus virutē anime sensitiuę perficere materiam grossiorem, mediātē corpore subtili, quod est spiritus, qui est delectatiuus huiusmodi virium, ut vult Aug. in lib. de differētia spiritus, & anime, ita ponimus formā anime intellectuę primō perficere materiam suam spiritualem, & mediante hac, materiam suam corporalem. Dico igitur, quod materia anime non est forma corporis, sed mediante ipsa anima informat corpus.

D Ad proposita autem D. Thomæ argumenta respondere nituntur, & ad prium dicunt, quod in uno corpore una est anima, quæ corpus vivificat, & ratione discernit, verum est, scilicet, quod est unę rationalis, quę totum complet, & perficit; sunt autem aliæ due, quę sunt incompletę, quæ dant esse incompletum corpori humano, quod perficitur, & compleetur adiumente anima rationali. Vnde, quando aliqui dixerunt tres animas esse in homine loco distantes, unam in epate, aliam in corde, aliam in cerebro, fortè eos mouit, quod anima actiones, quas non potest exercere sine corpore, facit mediantibus spiritibus, & ideo unam ponebant in epate, quæ per spiritus naturales facit operationes naturales, & aliam in corde, quę per spiritus vitales facit operationes vitales, aliam in cerebro, quę per spiritus animales, facit operationes animales. Alij autem, qui ponebant duos spiritus tantum, scilicet, vitales, & animales, tantum duas animas posuerunt, unam in corde, aliam in cerebro, volentes eam, quę est in corde, facere per spiritus vitales operationes vitales, & etiam illas, quas nos nunc dicimus naturales.

Potest ergo dici, quod non debent ponī duæ

D.Th. p.p.
q.75. art.5.
in resp. q.

Fundamen
tum adue
riorum,

Nititur sol
uerē adue
rarij D.Th.
eius ratio
nes, in prin
cipio alla
tas.

duæ animæ eo modo, quo isti posuerunt A vel potest dici, quod vegetatiua, sensitua, & intellectiuia sunt tres formæ, quæcum se habeant secundùm esse comple- tum, & incompletum, secundùm poten- tiā, & actum conuenientes quoad es- sentiale vnitatem: ideo eás plures ani- mas nolunt dicere, sed vnam.

Vel potest dici ad illud primum, & for- san melius, quod non concludit, in homi- ne esse tantum vnam formam substantia- lem, sed tantum vnam animam, quod plu- res concederent, & de hoc non est modo quæstio.

Adhuc potest dici, quod liber Ecclesia- sticorum Dogmatū totus est æditus cōtra diuersas hæreses, sicut patet inspicienti libri processum. Vnde caput allegatū nō in- tendit negare in homine animā vegetati- uā, sensitiuam, & intellectiuā, siue rationa- lem, vt Philosophi posuerunt. Si enim hoc negare intendisset, nunquam dixisset neq; tres animas in homine esse dicimus. Imò potius neq; duas animas esse in homine di- cimus. Vnde dicendum, quod intendebant negare duas animas in homine, sicut hæ- retici posuerunt, fortè sicut Massabæi, de quibus Io. Damasc. lib. de hæresibus c. 48. dicit, quod inter multos errores istorum ille fuit unus. Oportet hominem possi- dere duas animas, vnam communem om- nibus, aliam supercœlestem. Signum au- tem, quod contra illam hæresim dietū sit istud, videtur esse, quod capitulo 3 dixit. Neque duas animas in homine esse dici- mus, sicut Iacobus, & alij Syrorum scri- bunt. Damasc. autem de supradicta hære- si dicit. Ita manifestata hac ęgritudine à Syria electi sunt, in Pamphiliam autem recesserunt.

Ad secundum dicendū, quod quilibet istarū formarū dat aliquod esse, sed sicut prima forma est in potentia ad secundam completiuam ipsius, ita esse, quod dat pri- ma forma, est incompletum, & in potentia ad esse completum, pluralitas ergo forma- rum non est contra vnitatem compositi es- sentiale, nisi sint tales, quæ non se ha- beant secundum esse incompletum, & comple- tum, ita vt non possint conuenire ad aliquam vnitatem essentiale.

Ad tertiu dū dicitur: Hic homo est ani- mal, c&c. est prædicatio per accidēs. Respo-

Liber de
Ecclesiasti-
cis Dogma-
tibus cōtra
diuersas hæ-
reses est fa-
ctus, & intē-
debat in lo-
co citato
negare ab
homine di-
uersas ani-
mas, sicut
heretici
ponebant.

Aegid. super iij. Sent.

detur non oportere: Quia formæ ordina- tæ, quæ prædicātur ad inuicem, sunt dupli- ces, quædā enim sunt accidētia illi suppo- sito, quæ prædicātur de se inuicē prædi- catione accidētali, sicut cū dicitur superfi- cies est coloratum, quia nec superficies est de essētia subiecti, nec coloratū reponitur in specie cōpleta per colorem, qui accidit ei. Aliæ autem formæ sunt de essētia sup- positi, ratione cuius de se inuicem prædi- cantur etiam in concretione, vbi nequa- quam est prædicatio accidentalis.

Ad quartū dicendum, quod actio vnius B potentię intēse non impediret aliā, nisi essent fundatæ in eadē essentia, immò addo hoc non oportere, sed potius quod illę essentiæ naturalę, & essentialę habeat colligantiā. Item potentię illis corresponden- tes impedire se possunt in suis actionibus, & passionibus corporis, & corpus cōpati- tur animę, & sequitur eam in suis actioni- bus, quas illa habet, nō propter fundatio- nē in eadē essentia, sed propter vniōnem ad inuicē, vt perfectio, & perfectibile, & sic est de anima vegetatiua, sensitua, & in- tellectiuia in homine. Exemplum ad hoc. Si lignum graue cum leui ponatur, & im- mergatur: videtur, quod graue, cuius est motus deorsum, impedit actionem leuis, multò magis hoc fieret, si vnum esset alte- ri colligatum naturaliter. Vnde Auic. 6. naturalium par. 2. c. 7. ita dicit: quælibet virtus, si non haberet, in quo coniungere- tur alteri, nō prohiberet alteram virtutem ab operatione sua, scilicet, si instrumen- tum nō esset commune, nec aliquid aliud, in quo coniungerentur, esset commune.

Ad quintum argumentum de similitu- dine ad figurās, dicendū, quod similitudē D non debet intelligi in omnibus, sed in ali- quo, & in aliquo nō: est enim in hoc simili- tudo, quod sicut pentagonum non habe- tur, nisi prius habitis quatuor angulis, sic intellectiuia non habetur, nisi præhabita- vegetatiua, & sensitiuia. Item sicut penta- gonum præsupponit ante se tetragonum, in potentia, & sub esse incompleto, sic in- tellectiuum præsupponit ante se vegetati- um, & sensitiuum in potentia, & sub ef- fe incompleto. Sed dissimilitudo est in- hoc, quod illi quatuor anguli, quos sup- ponit pentagonum, & tetragonum, sub ef- fe incompleto, sunt de essētia pentagoni,

A a a 2 quan-

quando est completū, vegetatiua autē, & A sensitiua non sunt de essentia intellectiuę.

Ad sextum, cùm dicit, quòd aliter intellectiuā non daret esse simpliciter. Respondetur, quòd si per esse simpliciter intelligat totum esse, quod est in cōposito, verum est, quòd non dat illud esse totum, quod datur per formas præcedentes, sed esse quod dat, est completiuム, & perfectiuム omnium formarum præcedentium, & esse illarum formarum. Si autem intelligatur esse simpliciter, prout diuiditur ex opposito, contra esse, quod dat accidens, secundum quem modum dicit Philos. i. de Gener. quòd quando generatur substantia, dicitur generatio simpliciter. Dico, quòd forma intellectiuā dat esse simpliciter, quia sicut formę præcedentes erant in potentia ad illam, tanquam ad essentiale complementum, sic etiam esse formarum præcedentium ad esse eius, & ideo in aduentu formæ completiuę est generatio vera, vel generationis essentiale complementum, quamvis non sit generatio vera in aduentu formæ accidentalis.

I N C O N T R A R I V M est Diuus Thomas vbi supra.

RESOLVTO

In homine est tantum una forma substantialis, secundum D. Thom. Ratet ex determinatione facta contra Iacobum Hæreticum: ex unitate ipsius esse; ex predicatione per se; ex impedimento, quod videmus facere unam actionem alteri actioni in homine: ex continentia perfectionum in anima intellectua: & ex esse simpliciter, quod tribuit homini.

RESPONSIO ad hæc, secundum D.

Thom, multifariè, multisq. modis Magistrī, & multi circa unitatē formæ substantialis eiusdem rei laborauerunt, quidam istam unitatem impugnantes, alij verò è conuerso, rationibus, & autoritatibus Philosophorum ipsam declarantes. Nostra autem intentio in proposito erit ostendere, quòd nullū inconueniens, vel hæresis sequitur ex ista positione, & quòd isti per sua responsa ad argumenta D. Thom. quæ pro ipso faciunt, non euadunt,

R E S P . AD A R G V M .

Ad primum argumentum respondet D. 3. p. q. 5^o. Thom. in vlt. par. Summa, dicens, quòd art. 5.

P A R S I I .

corpus viuum, & mortuum est idē numero simpliciter, prout simpliciter dicitur, quòd nullo addito dicitur, idē absolutē: & hoc est propter unitatē suppositi diuinę personę, sive Verbi, quo subsistebat, non tamen fuit idem simpliciter, prout simpliciter dicit idē, quod totaliter, tūc enim non suffit mutatū, nec per consequens mortuum, quod hæreticum est dicere; & licet corpus sit sic mutatū per mortē, nō sequitur, quòd in morte nouam naturā assumperit, tūc quia illa forma substantialis in morte inducta, nō est per se assumptibilis, tūc quia natura sic fuit in principio incarnationis assumpta, videlicet mutabilis, ac mortalis: tandem per mortem mutanda, & per gloriam resurrectionis reparanda. Ad hoc possunt plura exempla adduci, ecce dolium plenum vino, pono, quòd vinum illud mutetur in acetum, dolium nō de nouo impletur, sed ratione primę impletionis continet acetum de nouo generatum, in quod contentum suum primum est transmutatum, sic Verbum, ratione primæ suscepionis humani corporis, illud in quod corpus prius susceptum in morte est mutatum, in

C unitate personæ retinuit sibi unitū. Aliud exemplum familiare ad idem potest esse istud. Pone aliquem indutum laneo indumento, quod transmutetur diuinitus in lineum, & iterum à lineo in laneū, iste propter istas plures transmutationes nō diceretur pluries indutus, sed per unicā inductionē haberet indumentū pluries mutatū, sic Dei Filius, qui secundum Apost. habitu ut homo inuentus est, carnem humanā in sua incarnatione semel induit, quæ postea per mortē fuit mutata, & tandem per resurrectionem reparata: fuit ergo corpus

D Christi viuum, & mortuum, vnu, & idem numero propter unitatem suppositi, quo subsistebat, nec debet dici Christus de nouo incarnari, vel corpori de nouo tunc vniiri: licet corpus illud benedictum in vita, & morte formam substancialē, aliam & aliam dicatur habere.

Ad secundum de Sacramento Altaris, respondet ipse D. Tho. in vlt. par. sic dices. Unum est forma corporis, dans ei totum ordinem esse perfecti, scilicet esse, & esse corporeum, & esse animatum, & sic de alijs. Conuertitur ergo forma panis in formam corporis Christi, secundum quòd dat esse corpo-

esse idem simpliciter bifaria in intelligi potest: vel simpliciter, id est absolutē, vel simpliciter, id est totaliter, primo modo conceditur, secundo modo negatur

exempla ad declarandā responsionem.

Philip. 2.

In sacramento Altaris forma panis concurrit in formam corporis Christi, sicut quod dat esse corporeum, & non secundum quod dat esse animatum tali anima.

corporeum, & non secundum, quod dat esse animatum tali animae. Verba eius sunt. Quod ergo dicunt, corpus non transire in spiritum: verum est in quantum huiusmodi, tamen forma panis, siue corporis, bene potest dici diuina virtute transire in formam corporis Christi, in quantum dat esse corporeum, ut ipse dicit. quæ quidem forma ratione sua perfectionis habet, quod non solum dat esse corporeum, ratione cuius dicitur forma corporis; sed etiam dat esse animatum anima intellectua, ratione cuius dicitur spiritus, & haec plenius patebunt ex sequentibus.

Ad tertium dicendum, quod peccatum originale à primo parente traducitur in posteros, in quantum mouetur ab ipso per generationem, sicut membra mouetur ab anima ad peccatum actuale, nō est autem motio ad generationem, nisi per virtutem actiuan in semine dēciso existentem, unde per virtutem actiuan seminis traducitur peccatum originale in prolem simul cum natura humana, quia enim infectio illa, quæ est in semine, disponente ad productionem naturæ humanae in prole, descendebat à voluntate primi parentis peccantis, sicut inordinatio, quæ est in manu homicida à peruersa voluntate eiusdem procedit: hinc est, quod sicut voluntas hominis homicida est causa peccati illius actualis principaliter, & manus instrumentaliter; sic voluntas primi hominis est causa principalis istius peccati originalis, semen autem est instrumentalis eiusdem. Ex his patet, quod peccatum originale non causatur (ut isti imaginantur) ex ipsis principijs naturæ humanae, productæ in prolem, videlicet, nec à materia, nec à forma: sed (prout dictum est) à mala voluntate hominis primo peccantis, in quo omnes peccauerunt principaliter: & à semine corrupto, propter illud peccatum natura corrumptur effectiū, disposita ad productionem humanae naturæ in prole instrumentaliter: procedit ergo illa obiectio ex falso fundamento, quod in ipsis principijs naturæ humanae in prole productæ sit causa traductionis peccati originalis requirenda, quod falsum est; his visis patet, ista tria argumenta non concludere, quod ista positio de unitate formæ in aliquo

Anima intellectua, vt forma datur corporum: vt spiritus datur anima, & anima intellectua.

Voluntas A- da sicut eau- ta principi- lis peccati originalis: semen vero instrumen- talis.

Argumentum procedit ex falso fundamento.

A repugnet Fidei Catholicae.

Ad quartum dicendum, quod neque repugnat Philosophia; immò totaliter ei initititur; philosophia enim non ponit formas elementorum esse in mixto, vel corpore humano actualiter, sed solū virtualiter qualitates enim actiuae, & passiuae elementorum, quæ sunt virtutes formarum substantialium eorundem in mixto inueniuntur. Ipsa quoque anima est forma mixta in quantum est actus corporis talet habentis complexionem ex proportione primarum qualitatum prouenientem, circa quam consuetudinam conservandam vel reparandam versatur studium medicinæ, nec ratione istius positionis habetur quare debeat dici cessare.

Ad quintum dicendum, non esse inconveniens, quod anima, in quantum est forma corporis, dicatur forma corporea, siue corporalis, quia tantum minimè est immensa materia. & in tantum nobilitate naturæ sublimata est, quia haber potentias, & actus penitus immateriales, & spirituales, unde est spiritus, & forma spiritualis.

Ad sextum dicendum, per istam positionem non pon, quod materia prima sit, vel grauis, vel leuis, nec quod ab anima habeat corpus, ut sit corpus graue, vel leue, nisi effectiū, sed ut est actus primus corporis, in quo virtute ipsius agentis, huiusmodi virtutes elementares inducuntur, ita, ut illud elementum dicatur in tali corpore dominari, cuius qualitas alias in eodem mixto excedit: non oportet autem (prout isti putant in hoc turpiter decepti) ibi esse elementi formam substantialē, vbi inuenitur eius qualitas, cū illa qualitas multum intendatur: sicut patet de qualitate ignis in aere ignito.

Ad septimum tandem dicendum, non repugnare positionem istam sacræ Scripturæ. In Scriptura enim illa. *Soluit se plumbum, &c.* idē demonstrat per hoc, & per illud, scilicet, corpus Christi idem numero, prout dictum est primò morte solutum, & postmodum in resurrectione excitatum, quod tandem in morte non fuisset solutum, nisi per animæ separationem, & alterius formæ inductionem fuisset mutatum, quare enim Scriptura teste, salvi diceretur, si una, & eadem forma substantiali, & eadem hypostasi Verbi continuè contineretur.

Aegid. super iii. Sent.

Opinio. D. Tho. initia- tur Philo- phiz.

Formæ ele- mentorum sunt in mixto virtualiter, cuius mixtæ animæ est forma in quantum est actus corporis, habetis talē complexionem, circa quam consuetudinam conservandam vel studium Medicinæ.

Quomodo anima drea tur forma corporea, & spiritu- lis.

Corpus nō habet ab anima esse graue, vel leue formæ liter, sed effectiū.

Positio. D. Thomae nō repugnat sa cræ scri- pturæ.

Idem nume- ro corpus Christi di- cetur solu- tum, & ex- citatum.

A a 3 Ecce

Ecce prædicta positio, non solum huic A scripturæ non repugnat, sed potius consonat, & concordat eidem.

Quod verò dicunt de Anselmo multum facit pro ista positione, si rectè intelligatur. Ipse homo enim, prout ipse dicit, secundum aliud est corpus, & secundum aliud est rationale, ideo renera, prout præmittit non vna consideratione, siue vno consignificandi modo dicitur corpus rationale, & homo. Eadem enim quidditas est, siue natura substantialis, quam consequitur quantitas dimensua, determinata virtus sensitiua, & rationalis: hęc ergo natura tota, prout ipsam consequitur ista quantitas dimensua, dicitur corpus, & prout ipsam consequitur virtus sensitiua, dicitur animal, & prout ipsam consequitur virtus intellectiua, dicitur homo, vel rationale: Modi igitur consignificandi istam quidditatem vnam, sunt secundum Anselmum diuersi, & hoc propter diuersas proprietates, quæ ipsam consequuntur, ut prædictum est.

Hoc quoque, quod adducunt de Augustino lib. Retractationum, non est contra istam positionem, si intelligatur. Dicere enim animam tribuere speciem corpori, per quam est effectiū: quod videntur sonare verba illa, quæ retractat ibidē de immortalitate animæ, temerè dictum est: Dicere tamen, quod anima tribuit speciem corpori, per quam est formaliter, cum sit actus, & forma ipsius, ut dicit Philosophus, non temerè dictum; hoc autem ponit ista positio, & non primum, patet igitur, quod authoritas ista rectè intellecta, nihil facit ad eorum propositum.

Quod autem supra dixerat quęst. 28. in D responsione ad argumentum D. Thomas, quod licet materia animæ rationalis, secundum se considerata sit aliquid in potentia, tamen ut perfecta est per formam, est actus, & forma corporis; in proposito indirecta obiectione satis impertinente, intendebat illud verius dictum corrigere. Quid enim absurdius dicitur, quam quod aliqua materia, quæ per suam essentiam est in potentia: fiat actus, & forma, & cum actus, & potentia opponantur, & vnum oppositorum impossibile est fieri reliquu, materia quoque, & forma nūquam coin-

gadē quid
ditas ratio
ne quausti
tatis dicit
ur corporis;
ratione vir
tutis sensi
tiua dicitur
animal,
ratione vir
tutis intel
lectiua di
citur ho
mo, vel ra
tionale.

Negatur,
quod pos
tio D. Tho
mas contra
D.P. Aug.

Arist. 1. de
Anim. tex.
26.

cidunt, secundum Philosophum: propter hoc nunc moti sunt aliter fingere, quod sicut virtutes sensitiuae primo perficiunt materiam grossiorem corporis, mediante corpore subtili, quod est spiritus, sic forma animæ rationalis primò perficit materiam suam corporalem, subtilem, & spiritualem, & mediante hac materiam corporalem: quanvis materia animæ non sit actus, & forma corporis, sed mediante ipsa, anima informet corpus; reuera hoc totum temerè dictum est. Si enim anima rationalis habet suam materiam, sensitiua, quę secundum ipsos alia substantia est, habebit suam materiam, cùm magis sit materialis, immo multò fortius vegetatiua suam: & tandem ipsum corpus suam, & tunc oportebit istos, secundum modum, quo loquuntur, fingere: ut forma animæ rationalis primo perficiat suam materiam purè spiritualem, & mediante hac, materiam sensitiuae minus spiritualem, & medianibus illis vterius, materiā vegetatiuae minimè spiritualem: & tandem vltimò materiam corporalem, & erunt quatuor substantiæ compositæ ex materia, & forma ad minus, quarum prima, corpus scilicet, perficitur consequenter per tres alias sequentes ordine prædicto, quomodo ergo secundum hoc, stabit, ut anima sit actus corporis primus sine aliquo medio, immo qualiter cùm hoc stabit, quod nunquam cum ijs terminis loquutus est Philosopher aliquis approbatus? Cum ergo ista sint nimis absurdia, surda aure transeamus.

Qui estimant Augustinum sensisse, quod anima, mediante corpore subtili, materiam corporis perficeret: decepti fuerunt in hoc, quod differt loqui de anima, ut est motor corporis: secundum quem modum loquitur Augustinus, & prout est forma, & actus corporis, prout loquitur Philosophus: quia in quantum forma est, immediatè vnitur materię, ita tamen, quod cum ipsa in eodem instanti inducuntur in eadem materia diuersę organorum dispositiones, & complexiones diuersis potentijs organicis seruentes. In quantum verò anima motor est per vnum instrumentum mouet alia, quia sicut dicit S. Thom. contra gentiles lib. 2. cap. 76. in motu, quo anima mouet corpus, est or-

do

2. de Anim.
tex. 6. Animæ in
quantu for
ma imme
diatè vni
tur materię
ita tamen,
quod cujus
fa in eode
instanti in
ducuntur di
uersa dispo
sitiones or
ganorū, &
coplexio
nes diversis
potentijs or
ganicis ser
uentes.

do mobilium, & motorum. anima enim A omnes suas operationes efficit per suas potentias, unde mediante potentia sua mouet corpus, & ad membra, mediante spiritu, & ulterius organum unum mediante alio organo. Ex his patet, quod argumenta, quæ isti afferunt contra istam positionem nihil concludunt.

Restat ergo videre, quomodo argumēta D. Tho. quæ pro se faciunt, non euadunt.

Respondendo ad primū argumentum, concedunt suum intentum in illa responsione scilicet, quam dicunt meliorem. S.

D. Thomas adducit auctoritatem Augustini ad ostendendum unam tantum animam unam in homine. Et manifestum est, quod èquè facit contra eos, qui dicunt vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam, tres substancialias: sicut contra illos Syros, qui ponebant tantum duas animas, cùm secundum ipsum vna, & eadem sit anima, quæ seipsum ratione disponit: & corpus sua sociate vivificat, & pari ratione sensificat: quod non esset verum, nisi ipsa vna, & eadem, vegetatiua esset, sensitiuia, & intellectiuia.

Quod verò dicunt ad secundum argumentum, quod prima forma est incompleta, dans esse incompletum, & compleatur, & perficitur per secundam, hoc non potest stare, quia cùm illæ formæ eiusdem generis sint, oportet illam formam perfectiorem includere in se totam perfectionem, quæ est in forma imperfectiori, ratione cuius pertinet ad idem genus, & aliquid perfectionis eidem superaddere: Si enim perfectio vnius formæ est omnino extra perfectionem alterius, nihil penitus idem participant, ratione cuius ad idem genus pertineant, licet ponatur, quod vna per aliam perficiatur, sicut color perficit superficiem, cum qua nihil idem participat, propter quod & alterius generis est. Cùm igitur forma perfectior includat in se perfectionem illam, quæ est in forma imperfectiori cum ulteriore perfectione superaddita, & nihil sui ipsius sit per substantiam: impossibile est dicere, quod forma perfectior sit perfectiuia, formæ imperfectoris, cuius nimirum perfectionem totam intra suam includit essentialiam.

Præterea. Completum, & incompletum eiudem generis non compatiuntur se in eodem susceptivo: sicut color completus, & incomplexus, vel sapor, vel aliud huiusmodi, sicut manifestum est sensui. Ratio verò iudicat hoc impossibile propter repugnantiam, quæ inuenitur inter completū, & incompletū eiusdem generis, circa idem susceptivum, quamvis autem sensus non participet differentias formarum substantialium: ratio tamen illas differentias formarum substantialium discernens, non minus debet istam impossibilitatem concludere. Cum igitur non possint istæ formæ esse simili in eodem, manifestum est, Vna forma non est alterius perfectiua.

Quæ vero dicunt ad tertium. Prædicatio est per se primo modo, quando illæ formæ inter se ordinatæ sunt essentiales ipsi supposito, in quo sunt, & quando forma secunda ponit primam in specie, quod non contingit in superficie, & colore: stare non possunt. Si enim istæ formæ, quantumcunque fingantur substantiales, sic sunt ordinatæ ut secunda sit actus, & perfectio formæ primæ, quæ per consequens est potentia respectu eiusdem, cum potentie sint extra rationem, & diffinitionem sui actus, prædicatum, quod sumitur à forma prima, nullo modo cadit in diffinitione subiecti, quod sumitur a forma secunda: verbi gratia, cum dicitur, homo est animal: & per consequens, nullo pacto erit ibi prædicatio per se primo modo, quæ est quando cadit prædicatum in diffinitione subiecti, secundum Philosophum.

Præterea. Quod dicunt ad quartum, quod potentie animæ se mutuo impe- Prædicatio primi modi dicendi per se. illarum trium animarum, non stat cum mente Philosophi: ipse enim quereret ab eis, quod à Platone quæsiuit, videlicet: quid est, quod ligat istas animas ad inuisitatem, cum enim sint tres substantie, quarum unaque secundum ipsos, habet propriam operationem, cum nihil operetur, nisi secundum quod est in actu, necessarium est dicere, quod unaque ipsarum habeat actum essendi proprium: quid ligat ergo eas simul? Si autem una in essendo completur, ac perficitur per aliam, cum vnumquodque sic se habeat ad